
# COMPOSI-TIONIS TOTIVS ARTIS DIALECTICAE AD VSVM TRADVCTAE,

*æditio secũda, nouẽ libris explicata, qui Aristoteleis ordine respõdent: suntq́; ad eosdẽ non solùm Isagogici, sed locupletissimæ enarrationes.*




AVTORE

Petro Monçono Valentino.


EST MODVS









VALENTIAE,

Ex typographia Ioannis Mey.

1566.

## IACOBI FALCONI equitis, ad autorem.

*Hic, Monçone, labor toto celebrabitur orbe;*
*Parcere si poterit, quæ magnis parcere rebus*
*Inuidia ignorat. Iuuenes assurgite libro,*
*Qui docet ante omnes, vero secernere falsum:*
*Qui reliquas artes ducit: qui clausa Platonis,*
*Clausaq; Aristotelis magni penetralia pandit.*
*Non hîc ambages, prætermissum ve videbis*
*Vtile quicquid erat: breuibus complectitur autor*
*Omnia præceptis: præcepta vocauit in vsum:*
*Sic liber autorem, librum cõmendat & autor.*

## LAVRENTIVS CIMON studioso lectori.

*Si cupis exactè logicam callere, Platonis,*
*scriptaq; Aristotelis tempore scire breui:*
*Hunc eme, quem cura vigili Monçonus, & acri*
*ingenio, & clara composuit methodo.*
*Dogmata vera docet, paucis & plurima tradit:*
*hunc igitur versa nocte dieque librum.*

# CLARISSIMO

## ET AMPLISSIMO VIRO DOMINO MICHAELI EX ILLVSTRISSIma Moncadarum familia oriundo, singulari dignitatis nobilium ornamento, Petrus Monçonus. S. P. D.



ÆPE mecum cogitaui, Michael omni laudis genere cumulatißime, inter tot ac tā præclaras, tum corporis, tum animi dotes, inter tam multa gloriæ insignia atque ornamenta, quæ in te vnū omnia & Deus & homines congeßerunt, quid præ cæteris suspicere ego & admirari deberem, teq; immensæ Dei immortalis liberalitati maximè in perpetuum obligarit. Cùm sint enim omnia summa & in summo dignitatis gradu locata, nihil est profectò, quod cum cæteris de principatu contendere non posse videatur. Nam vt ab eo ordiar, quod & in maximo prætio habetur, & tui ordinis homines commendare illustrareq; vehementer existimatur, quis generis claritatem, & Moncadarum familiæ vetustatem non nouit? Quis generosißimam stirpem

pariter & antiquissimam non prædicat ac veneratur? Minima profectò in hac parte tuarum laudum portio est, quòd te in veteri dignitate fortunaq; natum, genere, ac nobilitate ciuitatis huius facilè primũ & agnoscant omnes, & confiteantur. Non hoc dico temerè, de quo loquar video. Cùm omni semper culpa vacare conatus sim, nihil vnquàm magis curaui, quàm in assentatoris vitium delabi, nullamq; infamiã tantopere reformidaui. Quare nisi ita esse planè scirem, non adeò stultus essem, ut vellem hoc quasi publico testimonio mendacij nulla necessitate coargui. Sed nihil est, quod in tuis laudibus minus vereri debeã: cum sciam non solùm nostrorum, hoc est, Hispanorum, sed aliarum quoq; gentium maximum de præstantibus tuis virtutibus, & generis nobilitate consensum. Gallia quàm multos genuit familiæ tuæ summos illustresq; uiros, & rerũ omnium præstantia excellentes? Apud germanos quàm celebris est Moncadæ nominis amplitudo? Fulget profectò vbiq; terrarum tuorum natalium splendor, & in omnibus ferè orbis partibus maiores tui rerum gestarum gloria maximè floruerunt. Hæc verò non literaris

*teratis hominibus solùm & historicis, sed populo & imperitæ multitudini nota sunt. Itaq; non est mihi nunc memoria nobilitatis tuæ ex annaliū vetustate, sed ex recenti hominū sermone eruenda. Viuit adhuc & superest etiā num in omnium pectoribus, patrui tui illustrißimi ac fortißimi viri Vgonis à Moncada recordatio: qui non modò eorū hominum, qui suo tēpore floruerunt, gloriā, sed etiam antiquitatis memoriā virtute superauit. In quem vnum Carolus Imperator sapientißimus honores omnes, & omnia laudis ornamenta ita congeßit, vt vnū dignißimum esse, ad quē omnia deferrentur, iudicarit. Nimirùm in vno virtutes omnes enituerunt: ac non solæ Imperatoriæ, quæ vulgò existimātur, labor in negotijs, fortitudo in periculis: industria in agendo, celeritas in cōficiendo, consiliū in prouidēdo: quæ tanta in eo fuerunt, quanta in omnibus reliquis Imperatoribus, quos aut vidimus, aut audiuimus, non fuerunt. Testis est Sicilia, quam Prorex multis annis summo consilio & prudentia singulari gubernauit. Testis est Italia, quæ legato, & imperio ac potestate alteri Carolo perpetuò obtēperauit. Testes verò*

*iam omnes oræ, atq; omnes exteræ gẽtes ac nationes? Deniq; maria, tum vniuersa, tum in singulis oris omnes sinus atq; portus. Quis enim in toto mari locus, quàm diu ille classibus vniuersis præfuit, tam firmũ habuit præsidium, vt tutus esset? aut tam fuit abditus, vt lateret? Quis ex hostibus per hos annos nauigauit, qui non se aut mortis, aut seruitutis periculo committeret? Porrò Hispaniæ, Italiæ, & Christiani orbis oræ omnes, quàm à prædonibus eo tempore liberæ fuerunt? Portus ciuitatesq; omnes maritimæ, quàm tutæ, quàm secura omnia & pacata? Sed quid ego amplissimi viri ornamenta, & res præclarè gestas studeo percensere, cuius virtuti par oratio non potest inueniri? aut quorsum splendore generis tui, ac maiorum tuorum gloria, qua maximè floruerũt, commemoranda detineor, cùm is sis, qui illis virtute tua præluxeris: vt, si priùs noti non fuissent, à te vno potuerint accipere initium memoriæ suæ? Iam inde à primis annis magnam tui expectationem concitasti. Nam è ludo atq; pueritiæ disciplina in aulam Imperatoris eximij Caroli profectus, ipsi ac Philippo filio charissimus ijs artibus, quæ nobilem ac ingenuũ decent,*

cent,

*cent, magna cum laude, & omnium admiratione b nam illius ætatis partem traduxisti. Ineunte verò adolescentia bello maximo, quod cum potentissim Gallorum rege, & acerrimis hostibus Christiani n minis felicissimè gestum est, Imperatoris auspici sequutus, quàm prudenter, quàm strenuè te in omni bus gesseris, norunt illi, quos vnà tecũ eiusdem bel fortuna exercuit. Hæc te ad gloriam erexerat, & virtus extulerat ad laudẽ. Vtinam hunc cursum, i quo eras, ad perpetuam nominis immortalitatẽ cer tissimum conficere licuisset. Ea erat tui omniũ ex pectatio, strenuum militem summi Imperatoris, ma ximi exercitus ipsum Imperatorem breui futurũ qui non solùm conferri cum maioribus posset & æ quari: sed omnium honore & virtute gloriam supe raret. Hæc sanè & alia longè maiora de te sibi vni uersi proposuerant, & pollicebantur. In qua spe per spectis tum animi, tum corporis dotibus quotidie m gis ac magis confirmantur. Vident non illa solùm quæ veteres fortunæ ascripserunt ac naturæ bono affluentiã opum, singularẽ Principũ gratiam atqu fauorem, vires corporis ingentes ac robur eximium*

 inc

udicium syncerum & acre, ingenium præstans atq; llustre: sed alias quoq; virtutes animi multas & magnas in te suspiciunt & admirantur, scientiam rei militaris, autoritatem summam, fidem, facilitatem tantam, vt is, qui dignitate principibus excellis, facilitate infimis par esse videaris. Ad hæc seueritatem & grauitatem cum summa humanitate coniunctam, constantiam miram, firmitatemq; animi, & æquabilitatem in omni fortuna, tum liberalitatem præstantem & eximiam, quæ te tantopere commendat: ut quemadmodum nil habet fortuna tua maius, quã vt possis, ita nil natura tua melius habeat, quàm vt velis prodesse quàm plurimis. Sunt ista sanè maxima, fateor, quæq; maximam laudem promerentur: sed dicam quod sentio, ad innumerabiles virtutes tuas, singularem ego ad literas & bonarum artium studia animi propensionem, maximum accessisse cumulum, certò mihi persuadeo. Vt enim turpe est in homine nescire, turpissimum verò ignorantiæ tenebras, cùm possit, à se totis viribus non depellere, qua nulla maior labes & ignominia: ita nil pulchrius & magis expetendum, nullum maius aut

præ-

*præclarius ornamentum animi esse duco, quàm literarum cognitioni ac studio vacare, & honestis disciplinis animum excolere: quarum tantus fructus ostenditur. Ex quibus etsi sola delectatio peteretur, esset tamen hæc animi remißio humanißima & liberalißima iudicanda, quæ temporum est, ætatum omnium, atq; locorum. Felices illi, quos ab his nullo vnquam tempore aut commodum, aut otium abstraxit, aut auocauit voluptas, aut denique retardauit somnus. Hæc sanè virtus, meo iudicio, aliarum omnium, quibus te natura locupletauit, lumen est: hæc me tibi potißimùm deuinxit: hæc deniq; compulit, vt hoc opus, quod in communem studiosorum omnium vtilitatem scriptum est, tuo nomine euulgarē. Scio equidē multis de causis nulli alij, quàm tibi fuisse mittendum: nam si amicus quærendus, quem te ego mihi amiciorem putem, qui nouum aliquod quotidie in me tuæ beneuolentiæ signum ostendis, nec vnquam benè de me mereri desinas? Si is, cui plurimum deberem, ea sunt tua in me merita, vt ne ad habendas quidem tibi gratias parem me esse sentiam, ac proinde debeam, nisi ingratus haberi velim, quacunque*

*ratione possum, optimã meam voluntatem tibi cæterisq;, qui tuorum in me beneficiorum conscij sunt, ostendere. Si is, qui poßit esse præsidio, si quis in id fortè conetur inuadere, norunt omnes, qui te cognitũ habent, quanto studio & ardore animi soleas, negotia & famã amicorum tueri. Ad hæc omnia acceßit singulare tuum in hanc artem studiũ, & flagrans eius cognoscendæ desiderium, cuius me præeunte vestibulum ingressus es, ac prima tyrocinia delibasti. Multis itaque de causis hoc volumen ad te pertinet: sed ob hoc quoque tibi dicandum fuit, & nomini tuo consecrandũ, quòd cùm in multis rebus opera tua & consilio vsus sim, in hoc negotio studiũ tuum & fidele & vtile mihi sum expertus. Accipe igitur verè tuũ hunc librũ, & tibi multis nominibus debitũ, illumq; & autorẽ, vt soles pertuò tuere. Vale.*

*NOVEM*

# NOVEM LIBRORUM DE compositione Dialectica argumentum, ac totius operis præfatio.

Multi de obscuritate librorum Aristo. uehementer conqueruntur: quos aiunt de industria esse inuolutos, ut à nemine intelligantur, uel ipsius testimonio. Nam cùm Alexander ægrè ferret, libros Acroamaticos in uulgus editos fuisse, respondit Aristot. à nemine eos libros intelligi posse, qui uoce præceptoris in his non esset institutus. Hic eius epistolæ locus calumniæ occasionem præbuit nonnullis, quam ex facili & falsa adeò causa undecunq; aucupātur. Docent, & scriptis etiam testari non uerētur, ex Aristot. operibus nil minus hauriri posse, quàm rationem disserendi: quòd difficillima sint, absq; certa methodo, & innumera complectantur superuacanea, quorum in arte nullus est usus. His ego respondere in præsentia non statui, longiorem enim hoc negotium postulat orationē, & à nostro instituto est quàm maximè alienū. Quin illud ingenuè fatebor, desyderare Aristot. auditorem solertem, ingeniosum, qui iudicio ualeat, & labori non parcat. Et ut de libris Dialecticis agamus, ad quos ista parantur, inest quidem in eis difficultatis non parum, quam ex hominis improbitate ortā esse, quòd scilicet, ueram eorum intelligentiam posteris inuidisset, falsò sibi multi ipsius testimonio persuaserunt. Scribendi enim apud ueteres duo genera extitiße comperiuntur, τὰ ἀκροαματικὰ, τὰ ἐξωτερικὰ, ut ea interim prætermittamus, quæ ὑπομνήματα uocabant. Acroamatica dictionem habent altiorem, ac rationes firmiores frequentioresq;, ut in quibus nil nisi grauiter demonstratum afferri oporteat. Sic autem uocabantur, quasi disciplinaria, siue quia suis discipulis scribebātur ab autoribus cuiusq; sectæ, siue quia uoce præceptoris opus haberent, & idcirco à nemine eorū, qui in scholis Philosophorum uersati exercitatiq; non fuissent, legi

legi cognoſciq; poſſent. Exoterica uerò ad uulgi utilitatem inſti-tutionemq; ſcripta ſunt: non lectorum tantùm, ac familiariū ſcri-bentis diſcipulorum. In quibus omnia facili ſtylo, non exacta illa ratione docēdi, qualis in acroamaticis exigitur: ſed ad uulgarium captum diſputantur: & ob hanc ſolam cauſam ita ſunt appella-ta. Nam ἐξωτερικοὺς ſcholæ olim appellabant, quicunq; alicui ſectæ Philoſophantium ſe non addixiſſent. Vtroq; ſcribendi genere A-riſtotel. uſum fuiſſe, multaq; literarum monumentis conſecraſſe, ipſemet locupletiſsimus eſt teſtis. Octo libros de principijs natu-ralium rerum & cauſis, acroamaticos inſcripſit: ad quod genus, qui de Dialectica extant, pertinere, neminem dubitaturum eſſe credo. Exotericorum in ſecundo de cœlo nominatim meminit: cu-ius generis eſſe uidetur, qui de mundo inſcribitur, modò ſit huius autoris. Quod igitur de prioribus illis ad Alexandrum Ariſtote. reſpondiſſe fertur, non innuit ſanè ab ipſomet de induſtria fuiſſe inuolutos: quod Cicero de Heraclito commemorat, qui σκοτεινὸς ob eam cauſam perhibetur: ſed (quod diximus) non cuiuis uulga-rium patere, uerùm peritioribus, qui ſe aliquantum in ſcholis ex-ercuiſſent, uocemq; ac præceptoris operam poſtulare. Ego obſcu-ritatis, quam præ ſe ferunt & continent Ariſto. opera, præſertim Dialectica, alias ac non paucas eſſe cauſas exiſtimo. Ea in primis ex rerum ipſarum natura, & qua docentur methodo naſci uide-tur. Eſt Dialectica multis referta præceptionibus, iiſdemq; ſpino-ſis, cui tradendæ acroamaticum ſcribendi genus, hoc eſt, quod fir-miſsimis rationibus ac frequentioribus utitur, quā rerum natura patitur, Ariſt. accommodauit. Iam Mathematica exempla tam multa, quæ paßim in opere Dialectico occurrunt, non paruam difficultatem faceſſunt lectori. Acceditur enim ad rationem diſſe-rendi artibus illis ne à limine (quod aiunt) ſalutatis. Vtinā perni-cioſa hæc cōſuetudo, quæ in ſcholis mordicus tenetur, penitùs ob-ſoleſcat: fieret enim ut communibus ſtudijs eſſet longè meliùs con ſultum, & diſciplinis, quarum tantus fructus oſtenditur, à multis

opera

*opera impenderetur.* Ego cùm *ex earum ignoratione quantum nascatur incommodi Arist. disciplinæ candidatis toties expertus agnouissem, sedulò conatus sum huic malo occurrere. Itaq; elementa* Geometriæ, & Arithmeticæ *ex* Euclide *decerpsi, quibus instituti adolescentes ad* Dialecticorum *acumina, & Aristot. libros paratissimi accedant.* His *sat scio, quæ ex* Mathematicis *exemplis nascitur obscuritas, prorsus è medio tolletur. Sed sunt aliæ obscuritatis causæ non exiguæ, quòd nimius fuerit* Aristoteles, & *multa superuacua, quorum nulla propemodum est utilitas, tradiderit: quodq; præceptorum usum uix explicarit. Ac priori quidem incommodo permulti homines excellenti ingenio, & singulari eruditione præditi occurrere conati sunt: quorum extant institutiones* Dialecticæ, & *compendia non pauca, breuiter artis præcepta complectentia, & ad* Aristoteleam *disciplinam* Isagogicæ: *quibus, etsi multa omiserint ad rationem disserendi pertinentia, danda uenia est. Cùm enim id tantùm instituissent, ut* Dialecticæ *candidati prima artis tyrocinia delibarent, quò uel sic uia illis ad* Aristotelis *opera & aditus pateret, præclarè sanè suo functi munere uidentur. Illud uerò alterum, quod ad usum præceptorum artis* Dialecticæ *pertinet, paucissimis uideo curæ extitisse, atq; in eo uix unum elaborasse. Cùm sit, meo iudicio, nihil aut utilius, aut magis expetendum: cuius ignoratio multos à perdiscenda arte pulcherrima retardauit, multos auocauit.* Nec *sanè immeritò: hac enim parte neglecta, nihilo magis uniuersa* Dialecticarum *præceptionum moles ac congeries profutura est, quàm instrumentum quantumuis elegans, & omnibus suis partibus absolutum, quo pacto eo utendum sit artifici penitùs ignoranti. Hæc sanè causa me potissimùm adhortata est ac compulit: ut qui iuuandi communia studia ingenti semper flagraui desiderio, animum ad præsens opus scribendum appellerem: & si quid possem in hac parte, non dubitarē de optima iuuētute bene mereri.* Hic *mihi primùm uideo totius mei consilij ac instituti rationē esse explicandam.* Sed *cùm*

*in ipsa*

In ipsa operis inscriptione sit cōprehensa, optimū fuerit ad ipsam mox exponendam accedere. Opus præsens Compositionem inscri psimus totius Dialecticæ. Non enim elemēta tantum & præludia artis huius, quod ferè ab omnibus, qui se in hoc scribendi genere exercuerunt, factum animaduerto: sed uniuersa disserendi præcepta necessaria, & qua fieri poterit breuitate, tum methodo pulcherrima & facillima compositionis persequi, ac tradere constitui: ut tyrones & dialecticæ candidati, qui ad disciplinam Arist. aspirant, in hoc uno uel mediocriter exercitati, nihil offendant, quod difficile uideri, & ipsorum studia possit retardare. Iis uerò, qui sola artis cognitione uolent esse contenti, aut quibus libeat aliquando redire ad Dialecticorum acumina, & eorum, quæ fortè exciderāt, memoriam refricare, liceat citra magnam temporis iacturam uoti compotes euadere: nec tot annos necesse sit per ardua Aristot. opera, & per anfractus ægrè superabiles ire ac diripi. Porrò cùm præceptionū artis finis sit usus, cui destinatur: cuius potissimum cognitio desyderatur ab omnibus, estq; cum primis necessaria, in eo explicando maximè elaborauimus: ac curauimus seculò Dialecticam, quæ in sola contemplatione posita esse uidebatur, ad usum traducere. Ac de inscriptione & instituto hactenus. Nunc quod superest huius proœmij breuiter perstringamus. Cùm tradendis artibus aptissima sit compositionis methodus, eamq; omnium consensu obseruauerit Aristot. multis rationibus adductus, eandem quoq; tenendam esse nobis iure optimo existimauimus. Postulat autem constructionis ordo, ut à minimis & simplicissimis initium sumatur: qualia esse, quæ in Categorijs disputantur, ex cōtrario ordine resolutionis perspicuum euadit. Ita exemplo Aristot. à Prædicamentis inchoauimus: quæ disputatio lib. 4. suscepta est. Hunc librum sequitur, qui de Interpretatione inscribitur, in quo, quæ ad enuntiationem pertinent, partes eius, formas omnes, ac differentias, affectiones: & quæ sit in omnibus ueri ac falsi inueniendi ratio, diligentissimè sumus perse-

*quuti. Huic succedit proximè disputatio de argumentandi formis,* Ratiocinatione, Inductione, Enthymemate, Exemplo. *Qui enim simplicium uocum rationes nouit, & quo pacto ex his enũtiata coalescant, proximũ est, ut qua uia ex enuntiatis conficienda sit argumentatio discat, quæ uerum est ac legitimum Dialecticorum instrumentum: quod sextus docet huius operis liber. Iam cùm sint ratiocinationum formæ duæ, quibus fit rebus fides, & probatur quod in quæstione est positum, altera necessaria, altera probabilis, septimus prioris conficiendæ rationem tradit, posterioris octauus, qui ad inuentionem pertinet, & locos docet, ex quibus probabilis argumentatio ducitur. Postremus modum ostẽdit & componendæ & dissoluendæ captioni Sophisticæ. Conueniebat enim eum, qui auditorem ad inquisitionem ueritatis instituer et, non solùm ea, quæ ad hanc conferrent præmonstrare, sed eorum quoq; commonefacere, quæ huiusmodi inquisitionem turbare possent ac impedire. Hic librorum ordo est Aristotelels respondentium, hæc summa eorum quæ complectuntur. Adiecimus tamen de diffinitione & diuisione librum unum, Arist. quoq; in eo sequuti, qui de diuisionibus librum unum, tres autẽ de diffinitionibus scripsisse perhibetur: quos depopulata est uetustas. Hunc uerò in prima æditione disputationi simplicium uocum subiunximus, ob eam, quam explicauimus, causam. Sed in hac secunda aliam sequuti rationem secundo loco collocauimus. Porrò ante librum tertium, qui initium est totius Dialecticæ, & prima artis elementa complectitur, duos collocauimus: quorum alter tractationem quinq; uocum continens, ad exactam cognitionem decem Categoriarum pertinet: Prior uerò ea omnia comprehendit ac pertractat, quorum mentio fit in sequentibus libris frequentißima: quæq; longiorem desyderant explicationem, quàm ut de ijs pro dignitate in ipso sermonis progreßu obiter, & aliud agentibus liceat reddere rationem. Ea sunt, quis sit Dialecticæ finis, quæ materia, quæ partes,*

*quod*

quod nam artificis officium, quibus instrumentis exerceatur: & alia non pauca quæ ijs explicandis ac pernoscendis utilia mihi uisa sunt & necessaria. Sed ante omnia de methodo ac ordine tradendarum artium pauca dicenda putauimus: ut quis potissimum docendæ arti Dialecticæ esset accommodatior, perspicuum fieret. Vt ab eo autem exordiremur, mouit in primis, qui ex præclara eius rei cognitione percipitur fructus uberrimus. Hortatus est Galenus artē medicam ab eodem auspicatus. Compulit demum Aristot. quem uideo omnis Philosophiæ naturalis, moralis, diuinæ, ab ordinis explicatione initium fecisse. Cuius exemplum cùm in alijs rebus permultis nos sequi oporteat, non fuit in hac parte, qua cæteris antecelluit, negligendum. Sed hic sit huius procemij finis, quo horum nouē librorum cùm sententia, tum ordo, quē seruauimus, breuiter explicatur. Forsitan alia ad rē eandem pertinentia desiderabit curiosus lector, quæ in singulis libris apponere sedulò curabimus..

# COMPOSITIO TOTIVS ARTIS DIALECTICAE AD VSUM TRADUCTAE,

*sum traductæ, nouem libris explicata, qui Aristotelis ordine respondent: suntq; ad eosdem non solùm Isagogici, sed locupletissimæ enarrationes.*

## *Magnam esse uim ordinis in rebus omnibus, ac præsertim in artibus.*

### CAPVT I.



VANTA sit dispositionis uis, qua omnia inter se commissa deuinciũtur, illi probè intellexisse uidentur, qui naturã stare ordine putãt: quo sublato, peritura sunt omnia. Cœlestia pulcherrimo ordine constituta sunt, siue collocationem partium spectes, siue motiones corporum, & statos syderum cursus. Mortalia quoq; & caduca quicquid habent dignitatis & ornamenti, ordini debent. Nam in corporibus nostris, si quam partem permutes, & aliò transferas, tametsi habeat omnia illa quæ anteà habebat, prodigiũ sit uerius, quàm animal. Porrò orationis, hæc potißima uirtus est. Quod pulchrè Socrates in Phædro Platonis his uerbis expreßit: Sed hoc arbitror te dicturũ, oportere orationẽ omnem

tanquam animal quoddam cõstitui, ut suum quodam-modo habeat corpus, quod neq; sine capite sit, neq; pedibus careat, sed habeat media, atq; extrema sibi inuicem, & toti conuenientia. Hæc intelligẽtiam adiuuat, & memoriæ maximè lumen affert. Hac si careat oratio, tumultuetur necesse est: & ut ait Fabius, nocte in altißimis tenebris errans, casum potius, quàm consiliũ sequatur. Artes quoq;, quæ sine ordine ac certa methodo traduntur, inutiles sunt prorsus, & uix tueri artiũ nomen possunt. Quæ sit autẽ in docendis artibus seruanda methodus, unus Arist. multùm quidem omni laude, sed ordine plurimùm admirãdus, suis operibus effinxisse uisus est: quem nos in hac parte, aliorum omnium exemplo, imitabimur, ac sequemur. Et quoniam, cur quidq; præcipiatur in arte, intelligi non potest, nisi ordo quoq;, quem seruat, qui artem tradit, cognitus sit, atq; perspectus, primùm quæ methodus tradendæ Dialecticæ magis conueniat, paucis aperiamus.

*Orationis virtus potißima.*

De uarijs Dispositionis, & Methodi significationibus.

CAP. II.

QVam sit secutus methodum Aristo. in tradenda Dialectica, nõ omnino constat. Sunt qui Analysi in uniuerso opere Dialectico usum fuisse Mathematicos imitatũ, constanter affirment, & pertinaciter magis, quàm uerè. Alijs uisum est tradidisse omnia, quæ ad Philosophiã, & differendi rationẽ pertinent, methodo compositionis, utpote quæ sit maximè naturæ consentanea. Vtraq; sentẽtia autoribus nititur nõ cõtemnẽdis, & rationibus fulcitur uerisimilibus, quas discutere ac

examinare non priùs cõuenit, quàm quid methodus sit, quot eius formæ paulò diligẽtiùs consideremus. Methodus, dispositio, & ordo rem fermè eandem notant: sed explicanda est dispositionis homonymia. Dispositio in Categorijs ab Aristo. uocatur affectio, quæ citò euanescit, ab habitu affectione iam confirmata, sola permanentia & diuturnitate diuersa. Quinto autem Metaphy. diffinitur, Ordo rei, quæ partes habet, secundũ locum, speciem, aut potestatem. Nobis in præsentia idem significat, quòd ordo, & bifariã dicitur, quemadmodũ Inuẽtio. Vocatur dispositio, quæ definitur à Fabio, apta rerum in locos distributio. Est quoq; nomen partis unius Rhetorices: cuius officium & munus est, quid in unoquoq; loco sit aptè collocandum, præmonstrare. Methodus, uia quædam est compendiaria, & quæ generale nomen est, ac latè patens, rationem significat, qua inueniuntur occulta, & docentur, atq; explicantur. Sumitur & paulò contractiùs, quatenus idem est, quod apud Galenum initio artis Medicæ, doctrina ordini hærens, hoc est, ratio, seu uia, quæ in tradẽdis artibus obseruatur. Hæc sunt præcipua nominis significata.

Primum dispositionis significatus.

Significatus alter.

Tertia significatio.

Quartus significatus.

Quid methodus, qua generali est nomen.

Methodus cõtractius sumpta.

### Variæ ac multiplices methodi diuisiones, ex uarijs autoribus.

CAP. III.

Duplex methodus ex Plato.

Lege Platon. Sophistam, Phadrũ, et Gale. 9. de placitis Hip.

Methodi diuisiones multæ uulgò afferũtur. Plato duas docẽdi rationes maximè probauit, diuisionem, & compositionem. Compositionem uocat, collectionem multorum in unam cõmunem ideam, & illius rursus & aliorũ, quæ sub eodem genere continentur, in aliam communiorem, quousq; ad aliquod summum ge-

nus peruentũ est. Diuisio huic contraria dispositio est, qua initio sumpto à summo aliquo genere, per intermedia ad ultimas species descendimus. Compositionis exemplum erit, si particulares homines in communem hominis formam reuocemus: hominem & bruta in cõmune genus animal: animal & plãtã in id quod uiuit, usq; ad substantiã. Qui uerò contrario ordine à substantia exorsus, ad hominem, equum, & alias species descenderit, diuisione utetur. Diuiditur quoq; methodus in methodũ disciplinæ, & prudẽtiæ. Illa est dispositio à generalibus principijs ad res particulares subiectas: hæc, qua habetur ratio, aut personæ, aut loci, aut tẽporis. Similis est huic, quæ ab autore ad Herẽnium affertur in eã, quæ ab institutione artis proficiscitur, & quæ ad casũ temporis accommodatur. Seruatur prior ab Oratoribus, quãdo in dicẽdo præcepta artis sequũtur: ut exordio, narratione, diuisione, confirmatione, cõfutatione, & conclusione utantur. Posterior autem, quãdo ab artificioso ordine recedendum est: quod Oratoris iudicio, ac prudentiæ relinquitur. Alij tres fecerunt dispositionis partes: naturalem, arbitrariã, & artificiosam. Naturalis est, quam natura sequitur in rebus procreãdis: quæ à minutioribus partibus ac simplicibus exorsa, ad maiores progreditur, quousq; totum tandem absoluat. Arbitraria est, quando nõ sequimur rerum ordinẽ, sed ut una alij cõmodè subtexi potest, ita subiungitur. Exẽplum extat apud Porphyrium, qui cùm debuisset post explicatam generis naturam, de differẽtia agere, utpote quæ secundũ in ea disputatione locum sibi uendicet, prius tamen de specie disseruit: quòd id aliter commodè fieri

*Nota* *Secunda methodi diuisio.* *Tertia diuisio methodi.* *Tres aliæ formæ methodi.*

fieri non posset, cùm sint genus, & species de numerô eorum, quæ cum aliquo conferũtur. Artificiosa methodus est, quando consultò ac de industria rerum ordinem perturbamus, & quæ priora sunt, posteriori loco ponimus: quod & in disputationibus Dialecticis, & in rerum gestarum narratione Poëtis & Historiographis sæpe usu uenit.

De triplici tradendarum artium methodo ex Galeno.

CAPVT IIII.

METhodus, in altera significatione, idem est quod ordo tradendarum artium, quem Galenus triplicem esse grauißimorum hominum autoritate & rationibus non paucis adductus, aptißimè constituit: de quibus, quatenus postulat instituti nostri ratio, breuiter est dicendũ: ut quis potißimùm arti disserẽdi tradẽdæ conueniat, intelligamus. Primus est, qui fit ex cognitione finis per resolutionem: Secundus, ex cõpositione: Tertius, ex dissolutione finis. Analysis, seu resolutionis uariæ apud Arist. formæ reperiuntur: sed ex tertio Ethico duas tantùm cõmemorabimus, quæ ad nostrã, de qua sermo habetur, proximè accedere uidentur. Altera Geometræ utuntur, altera cernitur in actionibus. Geometrica analysis est, qua proposito aliquo theoremate, proxima, quæ ad ipsum demonstrãdum adhibita sunt, principia sumuntur: mox quæ antecedũt, donec ad prima artis elementa sit peruentum. Huic similis est, quam naturalis sequitur, cùm effectuũ, qui à natura profecti sunt, causas ordine quodã inuestigat: ut si pluuiæ causã primã oporteat inuenire, resolutione ea ad hũc modũ inuestigabitur: fit pluuia ex concretione uaporũ in nu-

Duæ Analysis formæ.

*bem, & nubis in aquã, agente, quod in regione aëris in-est, frigore, & halitus illos ui sua cogente.* Itaq; nubes *proxima causa est, ex qua pluuia gignitur.* Oriũtur au*tem ac procreantur nubes ex terræ halitu calido & hu-mido: is uerò ex partibus terræ educitur solis calore, quæ sanè prima est huius effectus causa analysi quadã (ut demonstratũ est) inuestigata.* Est quoq; in actioni*bus quidã resolutionis modus, quã secundã esse diximus analysis formã, cũ fine proposito ac statuto, de quo nulla est deliberatio, ea, quæ in finẽ perducũt, ordine quodam indagantur, quousq; ad primũ aliquod sit peruentũ, quod sit & resolutionis finis, & actionis principiũ. Sic architectus domũ erigere parans, primùm sibi finẽ, cuius gratia domus ædificatur, ante oculos ponit, defensionem scilicet à uento, imbribus, & cœli iniurijs.* Mox *quoniam ista fieri absq; tecto nõ posse intelligit, de eo extruendo cogitat, & ita progrediendo ratiocinatur:* Tectum *fieri nequit absq; parietibus: neq; hi fient, nisi iacta sint fundamenta: & hæc non iacientur, nisi priùs effosa sit terra.* Quo *loco cessat speculatio, & fit initiũ actionis.* Primùm *nãq; terra effoditur, inde cætera ordine fiũt.* Hoc *genus resolutionis, simillimũ est huic nostro de quo instituta est disputatio, quod in hũc modũ aptẽ diffinietur:* Resolutio *est continua quædam prosecutio causarũ ex causis, initio sumpto à fine, quousq; sit peruentũ ad prima principia rei, de qua quæritur.* Exem*plũ in hac ipsa* Dialectica, *quã nobis* Arist. *reliquit scriptam, sumi potest cõmodissimum: quæ finem sibi & scopum fidem statuit, quam rebus differendo facimus.* Hũc *ad prima artis elemẽta ita reuocabimus:* Fides *argumẽ-ta*

*Resolutionũ modus in actionibus.*

*Quid resolutio.*

*tatione paratur, & aliqua ratiocinationis forma, uel probabili, uel quæ ex necessarijs coalescat, quam demõstrationem appellant. Demonstratio autem ratiocinatio est: Ratiocinatio ex pronũtiatis cõficitur, & coalescit: pronuntiata ex uocibus constãt simplicibus ad aliquid significandũ institutis. In his resolutio tandẽ finitur, & absoluitur. Priora enim ac simpliciora nulla sũt in differendi ratione, quæ ex simplicium uocũ diuisione oriantur. Cõpositio contraria est resolutioni, quemadmodũ Græcis σύνθεσις τῆ ἀναλύσει, sic quoq; compositionis ordo contrarius erit resolutionis ordini. Est enim progreßio à minutißimis partibus ac simplicißimis ad cõpositiores, quousq; ad finem sit peruentum. Exemplũ potest aptè ex resolutione peti, ut in ea, qua proximè usi sumus: si quemadmodũ à fine artis ordiebamur, ita à simplicibus uocibus auspicemur, & per eosdẽ gradus procedamus ad finẽ. Tertius ordo est, ex finitionis dissolutione, qui generalẽ artis diffinitionẽ proponit, partes eius omnes quibusdã uelut capitibus continẽtem: quas rursus in partes dissoluit, hasq; iterum in alias, nec ab eiusmodi sectione, & omniũ diligenti explicatione desistit, donec omnia, quæ arte cõtinẽtur, absoluerit: ut sit idẽ & artis finis, & ordinis ac methodi. Hunc ordinẽ seruabit, qui artẽ Grãmaticam ita tradiderit, ut ipsam in primis hoc, aut alio nõ dißimili modo diffiniat: Grãmatica est, scientia literarũ, syllabarũ, dictionum, & orationũ. Deinde singulas diffinitionis partes suis quoq; explicet diffinitionibus, & in alias diuidat: literas in uocales, semiuocales, & mutas: syllabas in longas, & breues: dictiones in nomina, uerba, participia, & alias ora*

Nota

*Cõpositio quid.*

*Quis ordo ex finitionis dissolutione.*

tionis partes: orationes in congruas & incōcinnas; nec ab huiusmodi diffinitionibus, ac diuisionibus cesset, donec omnia ad Grāmaticam spectātia plenè absoluerit.

Quæ methodus quibus artibus tradendis conueniat, quæq; sit potior, ac præstantior.

CAPVT V.

Finibus profectò nostri instituti excederemus, si omniū, quotquot extant, sentētias hac de re in mediū adferre niteremur. Quod ergo grauißimis autoribus placuit, & à nobis omnia diligēti examine hinc inde perpendentibus Aristo. & uerò magis consentaneū uisum fuisse iudicabitur, proposuisse sat fuerit. Principiò inueniendis artibus resolutionis methodum utilem admodū fuisse, & ualde accōmodatā affirmāt grauißimi quiq;: quorū sentētiæ subscribere Galenus uidetur, cum methodum secundam fieri ex eorum compositione scribit, quæ sunt per resolutionē inuenta, his uerbis resolutionem inuentioni rerum manifestè accommodās. Quod non solùm in operarijs artibus, & ijs, quæ operis aliquid post se relinquūt, nullis corporis uiribus indigentes, ut exerceantur, sed in illis quoq; inueniendis fuit obseruatum, quarum finis sola est cōtemplatio, ac cognitio ueri. In omnibus finis regula est eorū, quæ sunt ipsis artibus cōprehensa. Is præclara ueterum ingenia & ingentes illos animos ad studium, & inquisitionem causarū compulit. Quē cùm uiderent, aut ad quotidianos humanæ uitæ usus esse necessarium, aut ipsum rem esse præclarā, ac excellētia mentis nostræ longè dignissimam, ingenij acumine & solertia, quæ diligentia atq;

Ratio artium inueniendarū.

usu

*usu uehementer adiuuarunt (quibus instrumentis ingenia hominum artes inuenerunt) excogitarũt multa, ad finem cõsequendũ adminicula, ea in primis, quæ proxima ipsi, & quasi cõiuncta esse uidebãtur, mox alia remotiora quidem, sed quorum præsidio indigere priora iã agnouerãt: ex his rursus alia, sine quibus priora cõsistere non posse credebantur: nec ab huiusmodi inquisitione destiterũt, donec ad primũ aliquod fuit peruẽtũ, quod ex alio nullo pẽderet, sed ex ipso omnia.* Hæc ab *eodẽ uno per uaria experimẽta collecta, uel collata cũ alienis, præcepta efficiebant, quæ etiam alios in re simili iuuarent, multa uerò simul coniuncta, quæ ad aliquẽ finem uitæ utilem spectarent, artem uocarunt.* Hæc *planè artium inueniendarum uia fuit & ratio, quam esse analysim & resolutionẽ ex ea, quæ à nobis paulò ante reddita est, finitione, perspicuũ euadit.* Fuit *sane primæ artiũ inuentioni resolutionis ordo & utilis, & in quibusdam, iis scilicet, quæ præsenti ac urgenti necessitati opem tulerunt, pernecessarius: cuius generis sunt, quæ quo modo uellenda lana, nenda, texenda, aut construenda ædificia, fodienda terra, aranda, præstandaq; omnia illa docuerunt, quæ operibus rusticis exercentur, sine quibus uita, nec diem quidem unum posset propagari. Cæterũ spectatiuas, quæ intra cognitionis fines sese cõtinent, ut hoc quoq; ordine fuisse excogitatas magna ex parte uerò est simile, ita crediderim contrario ordine compositionis aptissimè inueniri potuisse non paucas.* Nam *(ut alias prætermittamus) Geometriã, Arithmeticã, quæ solæ puræ ac syncerae sunt* Mathematicæ, *quid uetat ex natura ipsa, in qua latebant, ita hominũ indu*

*Instrumẽta quibus inuenta sunt artes*

*Spectatiuæ artes cõpositione inuẽta*

strie in lucem prodijsse, ut sint primo loco initia illa & firmamenta earum, quibus nitũtur, iacta, deinde ex his paulatim & multorum opera theoremata illa omnia, quo tradũtur ordine obseruato? Enimuerò cũ nõ simul, sed per incrementa, & longa temporum successione ad summũ decus & fastigiũ artes peruenerint, existimare possumus, ab ijs, qui Geometriæ inueniendæ studuerũt, principia, & quæ hæc proxime sequũtur fuisse excogitata, quibus alij alia non pauca adiecerunt: quæ Euclides omnia in ordinem, aptißimãq; methodũ redigẽs, & suis inuentis tradita à maioribus mirum in modum augẽs, & illustrãs, artem effecit omnibus numeris absolutã. Sed de his satis. Nunc quod propositũ nobis est hoc capite exequamur. Ordines diffinitionis & cõpositionis aptißimos esse docendis artibus, testes sunt locupletißimi Arist. & Galen. quorũ opera cùm multa commẽdent, multisq; nominibus digna uisa sint, quæ tot seculis, tam fœcundis bonorum ingeniorum in summo pretio atq; honore haberentur, sola, qua scripta sunt, methodus effecit admirãda. Et alter quidẽ definitionis ordine medendi artẽ se traditurũ pollicetur: alter eã Philosophiæ partem, quæ de natura est, & uniuersam disserẽdi rationem omnium consensu cõpositoria methodo scriptis mandauit. Hæc certiora sunt, quàm ut explicatione maiori indigeant. Illud nõ est omnino manifestũ, ac exploratũ, sitne ad docẽdas artes utilis resolutio, an potiùs (quod multorũ fert opinio) ad eas dũtaxat inueniẽdas pertinere uideatur. Qua de re id profectò nobis statuendũ est, quod ratio ipsa præscribit, & magni nominis Philosophi suis operibus docuerũt. Si rationẽ du

Inueniendæ Geometriæ modus.

Nota. Diffinitionis & cõpositionis ordines aptißimi docẽdis artibus.

An conferat ad docendas artes resolutio.

cem

cem sequi oporteat, nõ dubiũ est, posse disciplinas etiã eas, quæ in sola contemplatione uersantur, resolutione doceri. Nã qui eas resolutionis methodo inuenerũt, & docuerũt seipsos, & ordine eodẽ, quo ipsi inuenta perceperũt, tradere alijs cõmodè ualebunt. Quod obseruatum fuisse à summis Philosophis, Aristotele, & Galeno comperimus. Hic facultatẽ medendi se analysi tradidisse affirmat, illum forsitan librum intelligens, quẽ de Artis medicæ constitutione inscripsit: Aristoteles uerò disciplinam de moribus magna omniũ admiratione ordine eodem diligẽtißimè est persecutus. Eam enim à fine, hoc est, summi hominis boni disputatione auspicatur, qua absoluta, ad uirtutum explicationem se transtulit: in quarũ actione consistere beatitudinem existimauit. Erũt igitur omnes hæ, de quibus diximus, methodi aptæ & accõmodatæ tradendis artibus, non ex æquo tamen, nec singulas cuiuis docendæ utiles esse conuenit existimare. Quæ in actione uersantur, aut aliquid operis efficiũt, diffinitionis ordine, aut resolutionis doceri possunt. Nã ea, de quibus disserunt, nõ usq; adeò certa sunt, ac sibi constãt, ut per demõstrationes exactißimas tractari queant, quibus compositio frequentißimè utitur: cuius generis sunt res morali Philosophiæ subiectæ, iustæ scilicet & honestæ actiones, de quibus certã tradi disciplinam non posse, primo Ethico. testis est Aristo. Præterea in huiusmodi artibus non est ea rerũ connexio & colligatio, ut perpetuò alia ex alijs pendeãt ad finem usq;. At contẽplatrices, quæ certa methodo ac ratione scriptæ sunt, compositione traditæ, omnes ad nos peruenerũt, ut Geometria & Arithmetica Euclidis, &

*Cõtemplatrices sunt omnes ferè prius cõpositione mandata.*

Aristo.

Aristotelis ea Philosophiæ pars quæ de natura disserit & eiusdem disserendi ratio. Ex his perspicuum euadit, de quo multi dubitant, ex his tribus ordinibus, quis nã cæteris dignitate antecellat. Cùm enim inter omnia disciplinarum genera spectatiuæ, omnium cõsensu, principatum obtineãt, has autem methodo cõpositionis scriptis esse mandandas grauißimi homines existimarint, aperte sane hãc unã cæteris anteferri debere, indicare uisi sunt. Accedit quòd hæc sola est maximè naturæ cõsentanea, cuius ars ipsa æmula est & imitatrix. Natura enim non repentè opus suũ perficit, sed à partibus minutißimis orsa paulatim ad maiores progreditur, quousq; totum tandem absoluat. Iam cõpositionis modus præstantiam tradentis ostendit ingenij, quòd necesse sit eũ qui cõponit, omnia habere in numerato atq; ordine disposita, ante quàm animum ad docendũ appellat. Postremò qui cõpositione artem tradit, is sane uel solus (si Aristote. credimus) perfectè rerum scientiam ipse consequitur, & communicat alijs. Nã cùm ex his, quæ priora sunt naturæ ordine, ad posteriora procedat, & ex causis effecta cõmonstret, demõstrationis genere perpetuò utitur, quòd τὸ διότι, hoc est, cur res sit declarãs appellatur, quæ sola, Arist. iudicio, & omniũ cõsensu proprium est ac legitimũ parandæ scientiæ instrumẽtum. Ex his, & alijs non paucis, quibus breuitatis studio supersedẽdum ducimus, facile quiuis credat cõpositionis ordinem & præstãtißimum esse omnium, & tradẽdis artibus maximè accommodatum. Habent tamẽ & aliæ methodi hoc nomine compositoria inferiores, uirtutes suas, & propria quædã ad eam, aut parũ admodũ spectantia,

Prima ratio.

Ratio 2.

Tertia ratio.

Postrema ratio.

ftātia, aut ab ea longè aliena. Resolutio(ut diximus) id sibi quasi iure suo uendicat, ut sit artibus inueniendis aptissima: finitionis autē dissolutionem cōferre maximè ad totius cōprehensionē & particulariū memoriā autor est Galenus. Siquidē finitione una omnia artis capita comprehenduntur, quam tenere, & memoriæ mādare, non est difficile. Existunt hoc loco quæstiones duæ de numero, in quem ordines tradendarum artiū redegimus, qui minor à nobis, quā res postulet, uidetur esse constitutus. Nam in primis diuisio, quæ à Platone tātopere extollitur, methodus quædam esse uidetur artibus cōstituendis pernecessaria, qua è medio sublata, cæteris, illi præsertim, quæ finitionis dissolutione rē docet, nullus omnino locus relinquitur. Deinde demōstrationis uia, quam ἀποδεικτικὴν nominant, & Eustratius in cōmētarijs librorū de moribus, tribus illis putauit esse adijciendā, tradēdis artibus maximè utilis est, qua Geometriam & Arithmeticam Euclides persecutus esse uidetur. Scio multa hic à plerisq; responderi, quæ aut falsa sunt, aut ad rē ipsam minimè spectātia. quibus omissis, quod res est paucis dicamus. Ad priorē igitur quæstionem ita respōdendum est. Est quidem magnus in omni methodo diuisionis usus, quā si sustuleris, necesse sit alias labefactari, & corruere: sed ea instrumentum est tantùm & ministra disciplinarū, non generalis methodus, qua doceantur artes. Eadē secundæ quæstioni adhiberi potest responsio. Nam demonstratio instrumentū est, quemadmodum diuisio, quo ad demonstrandas affectiones de rebus ipsis artes utuntur: ipsa autem cōmunis ordo non est docendis artibus accōmodatus. Quod

Quid resolutioni proprium.

Quid proprium finitioni.

Quæstiones duæ.

Responsio ad priorē.

Solutio secūdæ quæstionis.

*si in unam artem multæ demonstrationes congerãtur, quemadmodum in duabus illis Geometria & Arithmetica factum esse cernimus, necesse est proculdubiò, modo ars ordine aliquo nitatur, cõpositionem seruari in toto artis progressu, aut resolutionem. Exẽplo hæ ipsæ esse possunt, quas modò nominauimus: quarũ demõstrationes hoc ordine traduntur, ut ex generalibus theorematis, ad specialia progreßio fiat, quam esse cõpositionem nemo dubitarit: & ut sit demonstratio apta docẽdi methodus, compositione, aut resolutione cõtineatur necesse est. Duo enim sunt demõstrationũ genera: unũ, quod τὸ ὅτι à Græcis nominatur, quo rem esse tantùm demonstramus: id quod fit, si ex effectis causæ colligantur: in quo seruari analysis methodũ supra ostẽdimus. Alterum, quod τὸ διότι uocant, cùm contrà ac in superiore, à causa ordimur, & ad ea, quæ ex ea manant descendimus: quod compositionis ordine fieri notũ est satis & perspicuũ. Quare tres erũt dũtaxat uiæ ac methodi tradendarum artium ordini hærentes, ac præter has, aliam condere minimè oportebit. Quòd si quæ sint à ueteribus literarum monumentis consecrata, in quibus nullus ex tribus ordinibus obseruari uideatur, cuius generis Hippocr. aphorismi, & Arist. problemata esse perhibentur, illa methodi expertia planè iudicabimus: existimabimusq; à summis Philosophis, absq; certa ratione, esse tradita, non quòd docendi, aut scribendi uiam ignorarent, cuius ipsi magna ex parte autores extiterunt: sed quòd rerum, quas huiusmodi opera continebant, ea esset diuersitas, ut comprehendi ordine aliquo non possent: qualia esse, quæ attigimus, notius est, quàm ut longiorẽ desideret explicationẽ.*

*Demonstrationũ duo genera.*

## Quæ methodus tradendæ Dialecticæ maximè conueniat.

### CAP. VI.

*Ex tribus illis docēdi generibus, quæ explicauimus, Aristo. cōpositorium maximè probauit. Hac itaq; methodo totā differendi artem scriptis mandauit: quā etiam in tradēda ea Philosophiæ parte, quæ de natura est, tenuisse, cōpertum est, uel mediocriter exercitatis. Quibus autem rationibus adductus compositionē cæteris omnibus docēdi rationibus usq; adeò prætulerit, ut hanc potiùs obseruandam esse existimauerit, dictum iā est à nobis præcedēti capite: ubi multis nominibus præstare cōpositionis methodum alijs omnibus, rationibus nō paucis cōfirmauimus: quas ex eo loco petere licebit. Hoc loco dißimulandum profectò mihi silentio non est, quod multos malè habet, multisq; calumniandi discipli nam Aristoteleā occasionem præbuit, quî factum sit, ut dexterrimus tradendarū artium magister, qui hoc pōtißimùm nomine cōmendatur, crediturq; cæteris antecellere, quòd in artis formam, & pulcherrimam methodū omnia redegerit: methodi tamen, aut ordinis uix in suis scriptis ullam fecisse mētionē legatur. Ad hæc, quo pacto quasi ex abrupto Dialecticam artē sit aggressus, nihil omnino de ea arte præfatus: cùm debuisset in ipso statim (quod aiūt) uestibulo, aut diffinitionē facultatis reddere, aut aliqua ratione quale id esset, de quo agere parabat, explicare. Hinc pleriq; (quemadmodū dixi) arrepta occasione hominē, qui tot seculis omnibus fuit admirationi, insectari conuitijs non uerentur. Clamāt confundi omnia ab Arist. & nil magis inordinatū esse*

*Quæstio prior.*

*Altera quæstio.*

& ua

& uacare methodo, quàm quòd scripsit author methodi, & inuentor ordinis. Ego nec in Aristo. uerba iuraui, nec me illi totum ita addixi, ut sectanda esse ipsius placita, insistendumq; uestigijs perpetuò existimē, propter solam hominis, cui alioqui maxima habēda fides est, autoritatē & amplitudinē nominis. Sanè, nisi me ratio, qua nititur, eò cōpelleret, nihilomagis Aristo. credendum esse putarē, quàm Parmenidi, aut Democrito, aut alicui ex ueteribus Philosophis: quorum ipse sentētias reijcit ac explodit. Sed hos tā iniquos rerū æstimatores, quis poßit æquo animo ferre? quis sit tā à cōmuni hominum sensu alienus, qui leui causa, & futili argumento persuasus, à sententia recedat tot annorū milibus recepta atq; probata? Verū hos, qui se hostes disciplinæ Aristoteleæ & profitētur palàm, & prædicāt, alio loco suis (ut aiūt) coloribus depingemus: nūc quæ proposita sunt diluamus. Dubitatio prior ex ignoratione ordinis, quē sequutus est Aristoteles in tradēda ratione differēdi, orta est. Cùm enim compositionis methodum, non eam, quæ est ex finitionis dissolutione, tenuerit, mirum non est, si à uocibus simplicißimis, quod postulat cōpositio, non à diffinitione artis duxerit initium. Illud uerò alterum qui obijciunt, primum ignorare uidētur hæc, quæ nomine Arist. circunferuntur opera, minimā esse eorum partē, quæ scriptis mādauit. Nam ut ea prætermittamus, quæ ex libris ad rationē dicēdi ac persuadendi pertinentibus, ad moralē, ciuilemq; Philosophiā, ad naturalem & supernaturalem interciderūt, quorū maximum esse numerum scribit Diogenes Laërtius, in Dialecticis cētum desyderari idem est autor: In quibus

quàm

*quàm multa credēdũ est hominem ingeniosißimum, singularis diligentiæ, & laboris indefeßi ad posteros transmisisse: quæ si extarent, iuuarēt maximè communia studia, & nullum detractoribus maledicēdi locum reliquissent. Multa in his de ordine & tradendarum artium methodo fuisse exposita, declarant ac testantur quorũdam inscriptiones. Nam alij de doctrina, alij methodici inscripti feruntur. Sed omittamus quæ perierunt monumenta, quæq; depopulata est uetustas. De ordine ac docēdi ratione quàm multa legũtur in his, quæ ad nos peruenerunt? Secundũ caput primi libri de Moribus ea potißimum continet, quæ ad ordinem ac modum pertinent Morali Philosophiæ accommodatum. Naturalē Philosophiã ab ordinis ac methodi aptißimæ arti expositione inchoauit. Et ne singula persequamur, primus liber de partibus animalium totus penè ad disputationē ordinis collatus est. Ex quo loco, quàm sit compositionis modus, non utilis modò, sed necessarius propemodũ docendis artibus, & (quod ad nostrum pertinet institutum) facultati differendi, ex ratione, qua uiam ostendit disputationi de partibus animalium, & earũ caussis, atq; adeò de tota natura congruentē perspicuum euadit. Eius hæc summa est, ex eodem libro subducta: in naturæ contēplatione ab uniuersis, & quæ omnibus cõmuniter accidunt, exordiendum est: atq; ex his ad speciales rerum naturas, quasi per gradus quosdam descendere conuenit. Si quis enim alia methodo utatur, scilicet de substantijs singulis primum differat, ut de natura hominis, aut leonis, aut bouis, cogetur sanè de ijsdē rebus sæpe uerba facere. Nã cùm sint multa ijs omnibus formis, & alijs genere diuer-*

*Multa ab Arist. scripta de ordine leguntur.*

*Ratio Aristot. quã probatur cõpositio aptissima esse traditã de Dialectica.*

*ſis cõmunia,ut ſomnus,uigilia,ortus,interitus, ſpiratio, acceßio,deceßio, ad hæc reliqui id genus affectus & diſpoſitiones:in ſingulis hæc omnia erunt explicãda, quod quàm turpe ſit in quouis orationis genere, nemo eſt tam rudis qui non intelligat: aut tam patiens,quem res eadẽ toties inculcatæ grauiter non offendant.* Hoc eodem *argumento* Compoſitione *quoq; docendam eſſe rationem differendi confirmare aptißimè licebit. Cùm enim in eo uerſetur,ut conficiendæ ratiocinationis uiam oſtendat, ſintq; ratiocinationum formæ permultæ,quibus cõmune eſt ex enuntiatis cõſtari proximis partibus,enunciata autem ex uocibus ſimplicibus coaleſcãt, quæ minimè ſunt ratiocinationum partes,niſi ab his minimis ac ſimplicißimis initium ducatur,cùm de formis ratiocinationum erit differendum,de iiſdem rebus ſæpe uerba facere cogemur.* Ex *his conſtat* Ariſto.*in his qui extant libris, multà de ordine tradendarum artium ſcripſiſſe: & ex tribus illis* Compoſitoriũ *docendæ* Dialecticæ, *uel ipſius teſtimonio aptißimum eſſe, quod nobis propoſitũ erat demonſtrare. Cæterùm tametſi in tota arte explicanda conſtructionis ordinem* Ariſt. *tenuerit,in pertractandis partibus non eundem eſſe obſeruatum perſpicuũ eſt ſatis rem ipſam diligentius intuenti.* Nam *partem inueniẽdi ea methodo, quæ eſt ex finitionis diſſolutione, perſecutus eſſe uidetur.* Libros *enim* Topicorum,*quibus eam complexus eſt,à diffinitione methodi,quam tradere parabat,eſt auſpicatus.* Propoſitum *(inquit) nobis eſt, uiã tradere & methodum, qua inſtructi de omni* Problemate *poßimus ex probabilibus differere,& diſputationem ſuſtinentes aptè reſpondere.* Quibus *uerbis diffinitio*

*Pars inueniendi ab Ariſt. diffinitionis methodo tradita.*

partis

partis inueniendi cõtinetur, cuius partes mox explicat, & in alias diuidit, quemadmodum ordo, qui est ex dissolutione finitionis, uidetur postulare. Ex quibus relinquitur posse in explicandis partibus artis aliam teneri methodũ & rationem docendi ab ea, quæ toti arti tradendæ accõmodatur. Nam (quod modò diximus) pars inueniẽdi diffinitionis ordine docetur, cùm in toto artis progressu obseruetur compositio. Quod idem cernitur in altera iudicij parte, quam eâdem Constructionis methodo ab Aristo. traditam agnoscimus. & tamen quæ potißima eius pars est, modum conficiendæ demonstrationis præscribens, longè diuerso ordine, diffinitionis scilicet, continetur.

De multiplici Dialecticæ nominis significatu.

CAPVT VII.

ALexander diligentißimus Arist. interpres, nomen Dialecticæ, cuius homonymia ex eiusdem præscripto distinguenda primùm est, non idẽ apud omnes Philosophos significare, satis copiosè explicauit. Stoici Dialecticam diffinierunt, Scientiam benè dicendi: & eos demùm benè dicere statuerunt, qui in ueritatis & conuenientiæ narratione aptè uersarẽtur. Quod cùm propriũ Philosophi esse uideatur, relinquitur profectò solam Philosophiam de illorum sententia eo nomine esse appellandam, ac solum Philosophum esse Dialecticum. Plato diuisionis methodum, qua ex uno multa fiunt, & multa in unum coguntur, Dialecticam uocauit. Arist. cùm sæpißimè Dialecticæ mentionem fecerit, uno solùm modo, ac in una tantùm significatione ea uoce usus fuisse uidetur, Dialecticam facultatem de rebus omnibus probabiliter

Significatio nominis prima

Secunda ex Plato.

Tertia de sententia Aristot.

disserendi perpetuò appellauit: & Dialecticum artificẽ, cuius officium est, argumentis probabilibus & rationibus, non ex proprijs cuiusq; rei petitis, sed ex communibus, rebus quibusuis propositis fidem facere. Posset id à nobis facile confirmari ex uarijs Aristo. locis, & ex Dialecticis libris, & ex Philosophicis deprompti: sed unum aut alterum in medium adduxisse sat fuerit. Secundo capite prioris libri de reprehensionibus Sophistarũ in hũc modum scribit: Sunt ad disserendum quatuor argumentorum genera, unum est eorum, quæ propriè ad docendũ sunt accommodata. Alterum eorum, quæ Dialectica uocantur. Tertio genere cõtinentur ea, quæ ad probandũ, & examinandum alterum adhibentur. In quarto genere sunt, quæ contentiosa appellantur. Atq; illa quidẽ ad docendum sunt accommodata, quæ constant ex proprijs cuiusq; disciplinæ principijs, nec uim habẽt ab eo, quod respondenti probatur. Credere enim, & indubitatam fidem habere eum oportet, qui discere uelit. Dialectica autem sunt, quibus utraq; pars contradictionis ex probabilibus, & communi hominum consensu concluditur. Decimo capite eiusdem libri Sophistam à Dialectico his uerbis distinguit: Atq; ille quidẽ, qui non in speciẽ modò, sed reuerà communia peruestigat, & exquirit, Dialecticus est: qui uerò id facere uidetur, nec facit, Sophista. Iam cùm ad rem aliquam confirmandã communia ac probabilia affert argumenta, Dialectica illa uocat, & disserendi artifici accommodata: ut in prim. de Cœlo. 7. ca. cùm rationibus ex proprijs naturalis Philosophiæ principijs desumptis non esse corpus infinitum ostendisset, alias cõmunes ad rem eandem pertinentes allaturus, licet etiã (inquit)

Locus primus.

Locus secundus ex 10. cap.

(inquit) rationes afferre, ad artificem differendi magis accommodatas. In proœmio quoq; de animo eas definitiones, quæ exactæ non sunt, neq; in cognitionē ducunt affectionum rei, quæ definitur, sed probabilem tātum ac communem quandam intelligentiam gignunt, dictas esse disserendi modo, affirmat. Ex quibus omnibus constat, quid nomine Dialecticæ intelligi uoluerit Arist. scilicet facultatem eam, qua instructi, ex communibus quibusdā, & ex probabilibus disputare utramuis partem cōtradictionis apte possumus, Dialecticam appellat, & qui ea utitur, Dialecticum. Sed offert se dubitatio non dissimulanda, cuius explicatio rei propositæ, de qua agimus, maximum lumē afferet. Libri posterioris Analyseos, in quibus conficiendæ demonstrationis præcepta traduntur, in Dialecticis numerantur: hi uero non ex probabilibus, aut ex communibus, sed ex proprijs cuiusq; rei principijs, & ex necessarijs, disserendi rationem ostēdunt. Item disputatio de reprehensionibus Sophistarum, pars quædam est Dialecticæ, uel ipsius Arist. testimonio, qui. 8. cap. prioris libri ita scribit: Ex his ergo perspicuum est, Dialectici esse, notatos habere omnes locos, unde reprehensiones ex communibus constantes ducuntur, cuiuscunq; generis illæ sint, hoc est, siue ueræ, siue in speciem tantum reprehensiones sint. At uero pars hæc non id sane præstat, ut ex probabilibus rebus propositis fidem facere possimus: sed ex his tantum, quæ sunt in speciem probabilia. Quare necesse est alterum ex his duobus consequatur, ut aut nō sint disciplina de demonstratione, & quæ de sophistarum reprehensionibus traditur, inter partes Dialecticæ recensenda: aut Dialecticæ uocabulum

Dubitatio.

paulò contractiùs sumptum esse, quàm res postulat: scilicet quâ nomen est, non artis totius, sed partis dumtaxat. Scio non deesse, qui aut hoc argumento cõuicti, aut alijs rationibus persuasi, libros de Demonstratione non aptè fuisse insertos Dialecticis, & eo nomine grauiter reprehendendum esse Aristote. affirment. Sed cùm non sit ars alia, cuius de huiusmodi forma præcepta tradere interesse uideatur, & esse aliquam oporteat, quæ id præstet, quæq; conficiendæ omnis ratiocinationis modum ostendat, fatendum est proculdubio, disputationem de demonstratione non minùs esse Dialecticam, quàm de Syllogismo probabili. Quod uel hac etiam ratione perspici potest: De genere, & formis, quas sub se complectitur, disputare, unius artis est: ut de triangulo, isoscele, æquilatero, ac scaleno Geometriæ: De numero, & partibus eius, ut binario, ternario Arithmeticæ: Est autem ratiocinatio genus quoddam, cuius formæ sunt ueræ, ac legitimæ, necessaria ratiocinatio, & probabilis: at de genere, hoc est, ratiocinatione differere, Dialecticæ artis munus est, quare uiam & rationem docere, quâ formæ ipsæ confici debẽt, eiusdem planè intererit. Rationi igitur sic est occurrendum, ex diuisione partium, quas libris Dialecticis complexus est Arist. & Dialecticæ uocabulũ sub se continet paulò generaliùs sumptum. Hæ enim cùm ex differentijs ratiocinationum sumantur, quarum tres esse formæ comperiuntur necessaria, uerè probabilis, & in speciẽ probabilis, tres quoq; sint oportet: quarum prima necessariæ cõstitutionẽ docet, scilicet demonstrationis: altera probabilis: tertia eius, quæ est tantùm in speciẽ probabilis. Hæc autẽ argumentorũ genera ita sunt inter se composi-

Falsa responsio reijcitur.

Dubitationis uera solutio.

composita, ut tametsi modus, quo confici debet, unius sit artis (quod paulò ante diximus) usus tamen non est eiusdem, nec ad eundem pertinet artificem. Nam demõstratione uti uniuscuiusq; artis est & disciplinæ, & specialis artificis, in ea materia, in qua uersatur. Quod Arist. 8. cap. prioris libri de Sophistarũ reprehensionibus his uerbis significauit: At debet quidẽ quisq; artifex omnes, quæ ad suam artẽ pertinent, reprehensiones considerare, siue sint illæ ueræ reprehensiones, siue speciẽ tantum habeãt uerarum: & quamobrem talis sit unaquæq; explicare. Vti autem captiosa, & fallaci ratiocinatione, Sophistæ interest: probabili uero, & quæ ex communibus coalescit, Dialecticus utitur: quem artificem esse & à demonstratore, & à Sophista longè lateq; differentẽ, cùm alijs multis locis, tum maximè. 4. Metaphysico apertißimè docuit Arist. Ex his ratio colligi potest, qua factum est, ut eam solùm partem, in qua præcepta conficiendæ probabilis argumentationis tradantur, Dialecticam peculiari nomine appellauerit Aristot. & eum solum, qui his præceptis fuerit instructus, Dialecticum: scilicet, quia nõ solùm illa docere ad differendi rationẽ spectat: sed quoniam uti argumenti genere, ad quod parantur, eiusdem munus est & officium. Potest tamen Dialecticæ uocabulum paulò latiùs sumi, ut partes omnes notet, & complectatur, quæ ratiocinationis omnis construendæ uiam docent, necessariæ, probabilis, & quæ apparet probabilis. In qua significatione eo nomine nunquam usum fuisse Aristotelem legimus. Quare in priori usurpabitur à nobis. Quòd si quando in hac postrema sumendum fuerit, diligenter annotabimus.

*Quare Arist. partẽ differendi probabiliter Dialecticã appellarit.*

## De origine artis Dialecticæ.

### CAPVT VIII.

QVantum intersit inter artem, & quod arte præstatur, ac efficitur, nõ erit difficile nouisse ei, qui hæc ita seiuncta esse ac separata natura intellexerit; ut haberi alterum sine altero à multis poßit. Quod ex singulis artibus perspicuum euadit. Ante inuentam Rhetoricam laudabant homines, quæ laude digna iudicabant, uituperabant contraria. Accusabant, defendebant, & quæ utilia arbitrabantur, persuadere studebant. Antequàm effecta esset ars disserendi, in prima scilicet hominum origine, argumentis utebantur, qui sua confirmare, demoliri aliena, ac euertere conabantur. Hinc fit, ut nec simul ista cœperint, nec sint ab eodem fonte & principio profecta: sitq; longè diuersa quæstio, quæ de origine artis disputatur ab ea, qua origo operis, aut actionis quæritur ex arte profectæ. Ac nos quidem priorem illã quæstionem hoc capite suscepimus explicandam. Nã posterior satis aperta est, & minimo negotio dissolui potest. Cùm enim sit artis Dialecticæ opus, differere de rebus argumentis, id profectò unà cum ipsis hominibus natum est, quos certò constat nullis prorsus artis præceptis instructos, illud aliqua ratione præstitisse. Et quod de ratione dicendi scribit Fabius, idem in hac quoq; Dialecticæ actione uerum esse credendum est. Vtriq; dedit initiũ natura. Nã in utroq; sese permulti exercuisse muniti naturæ præsidijs, ingenio, & iudicio, comperiũtur: qui usu, & exercitatione multum quidem in eo profecerunt, facultatem autem exactam, & dexteritatem summam, ex arte sunt consequuti. Non enim in id parantur, & inuẽtæ sunt

*Opus artis Dialecticæ unde profectum.*

*cæ sunt artes, ut res quouis modo fiant: sed ut certa ratione fiant, & absq; errore. Prior autem quæstio multiplex est, aut enim in ea quæritur quo tempore cœperit, & quisnam tanta laude dignus sit, ut eius inuentor à nobis debeat existimari: aut quid ipsi arti dederit initium, naturáne, an quidpiam aliud longè à natura diuersum. Ac, ut à posteriori quæstionis sensu exordiamur, facile is quidem explicari ex illis potest, quæ de origine Rhetoricæ artis, breuiter quidem, sed uere & acutè tradita sunt à Fabio. Initium (inquit) dicendi natura dedit, artis obseruatio. Sic quoq; in Dialectica statuendum est: disputare, differere, ac rebus fidem facere, à natura profecta sunt: artem uerò ipsam, cuius illa sunt officia, peperit, nõ natura, nec naturalis usus eorum, qui interrogant, aut respondent, quod alijs uisum est, sed sola obseruatio. Id uerò quo pacto factum sit, pulcherrimè, ut solet, Aristo. 1. Rhetoricorum his uerbis significauit: Omnes utriusq; artis quodammodo participes sunt; Rhetoricæ scilicet, & Dialecticæ: Omnes enim usq; ad certum finem tum quærere, ac reddere rationem, tum defendere & accusare conantur. Verùm multi hæc temere, nonnulli exercitatione, & consuetudine commodiùs faciunt. Quæ quoniam utroq; fieri modo possunt, patet, posse hæc in certam rationem & uiam redigi: cùm eius causam inspicere posimus, quo tam qui exercitatione, quàm qui naturæ ductu, spontéq; sua dicũt, quod uolunt adipiscatur: id uerò artis esse officium, omnes rectè concedent. Quibus uerbis ortam esse utranq; artem ex obseruatione eorũ, quæ præstant, qui actionem artium exercent, apertè demonstrauit: ut ars differendi tũc demum effecta est, cùm*

*Quod artis dederit initium de sententia Fabij.*

*Quomodo effecta ars differendi.*

in his, qui interrogabant, & respondebant, ea annotata sunt, quæ ab utroq; recte ac præclare agebantur: tum illa, quibus alter alteri in eo officio & munere exercendo præstare uidebatur. Hæc obseruata diligenter, & in generalia quædam præcepta redacta artem effecerunt. Eadẽ obseruatio Rhetoricen genuit: quod Cicero. 2. lib. Oratorio his uerbis ferme ex Arist. mutuatis, eleganter explicauit: Etenim, cùm pleriq; temere, ac nulla ratione causas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationẽ, aut propter consuetudinem aliquã callidius id faciant, non est dubium, quin si quis animaduerterit quid sit, quare alij meliùs, quàm alij dicãt, id poßit notare. Ergo id qui in toto genere fecerit, is si non planè artem, at quasi artem inuenerit. Atq; hæc breuiter de priori quæstionis sensu dicta sint. Quod uerò ad alterum spectat, hoc est, quando ars cœperit, & quó potißimùm autore, uix, ut par est, possumus de eo ferre sententiam, ueterum monumentis uetustate, & casibus alijs innumeris e medio sublatis, ut ad nos peruenire nõ potuerint. Vniuersi propemodũ primæ inuentionis laudem Arist. detulerũt, quam sibi in fine libri. 2. de reprehensionibus Sophistarum, quasi suo iure ipse uidetur uendicare. Ac de arte quidẽ Rhetorica satis (inquit) multa à ueteribus tradita habuimus: de hac autem disserendi ratione nil planè habuimus, quod alijs acceptum referamus: sed nos longo usu singula inquirendo, multum temporis magno cum labore consumpsimus. Et paulò ante ita scribit: At uerò huius artis, in cuius explicatione uersamur, non pars quædam iam ante inuenta, & elaborata erat, pars altera minus explanata: sed omnino nil in eo genere adhuc

Quando cœperit ars, & quo autore.

ab alijs traditũ extabat. Quid igitur, dicet aliquis, cùm ueteres Philosophi multa disputarẽt, sæpißimeq; sese mutuis interrogationibus, & respõsionibus exercerent, nulla ea de re tradita esse ab ipsis præcepta est uero similes Quæstionem hanc, & quid maiores in eo præstitissent, his uerbis explicat: Illi, ad disputandũ, orationes ediscendas discipulis tradebant de his rebus, in quas sæpius suos utriq; sermones inducebant. Vnde efficiebatur, ut discipuli celeriter illi quidem, sed citra ullam artem, quæ ab illis tradebantur, discerent. Illi enim ita demum se rectè docere existimabãt, si omissa arte, ipsum artis opus proponerent. Vt si quis se profiteatur artem traditurũ, quà ne pedes posteà ullus offendat, effecturus sit, ac posteà nõ sutoriã ille quidem doceat, neq; unde parari poßint quæ ad eam rem sunt necessaria, ostendat: sed magnã calceorum omnis generis multitudinem proferat. Ex quibus, si Arist. credimus, perspicuum fit, eos, qui ante Arist. philosophati sunt, opus artis frequentißimè exercuisse, ea uerò, quæ ad constitutionem artis sunt necessaria, non animaduertisse, nec obseruaße. Primumq; id fecisse Aristot. atq; ipsum diligenti illa obseruatione usum fuisse, quæ dedit artis initium. Sit igitur, habeaturq; à nobis Dialecticæ inuentor Arist. cœpißeq; artem unà cum ipso credamus, & ab eodẽ omnibus suis partibus fuisse ita absolutã: ut in tãta ac tam numerosa bonorũ ingeniorũ multitudine, quorũ fœcũdißima fuit uetustas, nemo adijcere se quicquã inuentis posse sperarit, detrahere autem aliquid, paucißimi nescioquo iure tẽtarint. Poterat hic esse finis eorũ, quæ ad præsens caput spectare uidentur, nisi me hæc quæ de origine Dialecticæ artis tanquam certa

& explora-

*& explorata asserta sunt, hortarentur, ut breuiter, ac ueluti aliud agens pauca de ordine, quem in docendis artibus obseruare conueuit, attingerẽ: explicaremq; sit ne Dialectica ante Mathematicas tradenda, an contra sint primo loco docendæ Mathematicæ. Enimuero si ueræ sunt, quæ de origine artis disserendæ scripsimus, prius quàm inuenta hæc ipsa esset, cuius autorem fecimus Aristotelẽ, Arithmetica, Geometria, Astronomia effectæ iàm erant, & maximo in pretio habebãtur. Geometriã & Astronomiam pepererat Aegyptus: illam necessitate compulsa, pereuntibus scilicet Nili inundatione finibus, & collimitijs agrorum: hanc cœli occasione, ad eam rẽ paratißimi, quod apud Aegyptios nusquã nubibus obducitur, sed perpetua nitet serenitate. Pythagoras de numeris multa scripserat: Euclides, quæ extãt apud nos ab ipso de Geometria, & Arithmetica scripta, & alia fortaße multò plura, iam euulgarat. Hæc si ità sese habent, quæ planè uera esse nullus diffitebitur, necesse est, aut cognitione exacta harum disciplinarum, omnes illos, quos modò nominauimus, & qui ab ipsis docebantur, caruisse: aut posse Mathemata absq; ratione disserẽdi aptißimè disci. Iam plena sunt Philosophorum scripta, Mathemata fuisse puerorũ exercitamẽta, & in his primum institui solitos, ut ad eorum acumina, uelut ad cotẽ, mẽtis aciem acuerent, sicq; ad reliquas artes capessendas paratißimi euaderẽt. Plato Mathematicas προπαιδείας appellat, hoc est, priores institutiones: in cuius gymnasio scriptũ erat, ne quis huc ingrediatur expers Geometriæ. Hinc obscurißimas quasq; disputationes, numerorũ & figurarum similitudine explicauit. Arist. uerò præcepta omnia*

*Quæstio de ordine tradendarũ artiũ.*

*Geometria & Astronomia ab Aegyptijs inuenta.*

omnia Dialectica exemplis Mathematicis illustrauit: quod sane inepte ac temere fecisset, nisi intellexisset auditores, quibus illa tradenda erant, Mathematicas iã artes percepisse. Sic igitur fuit apud ueteres Philosophos in more positum, ut prius adolescentibus, imò uerò pueris disciplinæ Mathematicæ proponerẽtur, & ex his cognitis, ad differendi rationem, & reliquas artes perdiscẽdas traducerentur. Ergo (si Dijs placet) nos à consuetudine, quæ grauissimis Philosophis tantoperè probata est, recedendum putabimus, & antiquum morem & rationē & iudicio atq; autoritate totius uetustatis innixũ, leuibus quibusdam causis adducti, obsolescere patiemur. Mihi certè standum esse maiorum sentẽtiæ in hac parte uidetur, tradendaq; elementa saltem Mathematum adolescentibus primo loco: quibus destitutis, ad uersanda, ac pernoscenda Aristo. opera Dialectica, uix ullus patebit aditus. Scio mihi protinus obijcient aduersarij: Dialectica instrumentum est omnium artium, & organũ: instrumẽtum autem prius est his, quibus adhibetur: unde effici putant, prius esse discẽdam Dialecticã. Sed hos animaduertisse oportuit, diuersa esse admodum artem constituere, ac inuenire, & artem tradere iam constitutã, aut discere. Sane artium constitutio cognitionem expostulabat præceptionum Dialecticarum. Oportuit enim eos, qui artes inuenerunt, ac effecerunt, diuidendi, diffiniẽdi, ac colligendi rationem intellexisse, quã Dialectica præscribit. At easdem discere uolentibus, non est huiusmodi cognitio necessaria: nõ enim ut trianguli, aut quadrati, aut circuli natura intelligatur, quid definitio sit nouisse est necesse: nec demonstrationes addiscenti, quid sit demonstratio

*monstratio, & ex quibus constet. Hæc ad illos pertinuerunt, qui diffinitiones, ac demonstrationes nobis inuenerunt, quos constituendæ diffinitionis ac demōstrationis modum exacte tenuisse, fuit admodum necessarium. Addiscentes autem credere tantùm oportet, & inuēta percipere. Afferunt quoq; locum Arist. ex. 2. Metaphysico, qui sic habet: Absurdum est, simul scientiam, & sciendi modum quærere: quorum alterum referri ad Dialecticā existimant, quæ sciendi modus quidam esse ab illis existimatur. Sed quæ paulò ante in ipso capitis initio docet Aristo. satis apertè declarant, longè aliud esse nobis per sciendi modum intelligendum. Illud idem quærit, quod in principio primi Ethici, qua ratione accipi debeant, quæ à Metaphysico proponuntur, & quale doctrinæ genus ab ipso expectandum sit, ac postulādum. Sunt enim (inquit) qui non admittunt, nisi Mathematicè loquentem: quidam uerò non nisi utentem exemplis. Quidā dignum ducūt, ut testis producatur aliquis Poëta. Quosdā uerò tædet certitudinis, aut propterea quòd non possūt assequi, aut propter curiositatem. Habet enim certitudo tale aliquid. Ex quibus colligit, quapropter institutum esse oportet auditorē Metaphysicæ, & nouisse iā anteà quomodo singula sint admittenda. Cuius causam reddēs, adiecit: Nā absurdum est, simul scientiam quærere, & sciendi modum. Quare sciendi modus nil profectò minus nobis indicat hoc loco, quàm Dialecticam: sed methodū docendi, & disciplinæ genus, quod in tradenda illa arte tenendum est. Hoc enim uariū esse deprehenditur, ac multiplex. Alterum summum, & exactissimum, quod per demonstrationes necessarias perpetuò progreditur: Alterum*

rum longè inferius, in quo rebus probandis non exactißimum demonstrandi genus adhibetur, sed minùs efficax, in quo res tantùm esse ostendatur, non cur sit. Est autem ab unoquoq; artifice illud expectandum, ac postulandũ, quod sit materiæ, in qua uersatur, consentaneũ, atq; accommodatum. Prius illud à Mathematico & Metaphysico, quia in rebus uersantur necessarijs, & à materia auulsis: hoc alterum à Rhetore, à Morali Philosopho, cui subiectæ sunt iustæ & honestæ actiones, uariæ & inconstantes, de quibus certa disciplina tradi nullo modo potest. Hæc de quæstione ista sint à nobis obiter dicta.

## Quænam sit Dialecticæ materia.

### CAP. IX.

OMnis ars, modò sit certa methodo & ratione cõstituta, disciplina omnis, ac scientia finem habet aliquem propositum, cuius gratia & inuenta est, & addiscitur. Tum etiam in certo aliquo genere rerum, & materia uersatur, & hæc quidem communia sunt omnibus, omnibus, quotquot sunt, pariter conueniunt. Quæ uerò post se operis aliquid relinquunt, habent præter illa, instrumenta aut ab eadem arte cõposita, aut ex alia desumpta, quibus artifex & officio suo ac munere fungatur, & opus cõstituat arti propositũ. Huius posterioris generis esse Dialecticã paulò post demõstrabimus, cũ de fine ipsius disputabimus. Nũc tanquã certũ sumatur, & exploratũ. Erit igitur finis aliquis Dialecticæ propositus in quẽ uniuersa præceptionũ collectio est referẽda. Versabitur quoq; in aliquo genere rerũ, & materia. Præstabit demũ instrumenta, quorũ adminiculo Dialecticus officiũ

suum

suum exerceat, & finem, quem ars respicit, cõsequatur: de quibus omnibus ordine dicendum est nobis. Materia, & quod Latini interpretes subiectum uocant attributionis, idem sunt. Dicitur autem materia bifariã. In primis solemus materiam artiũ appellare id, quod ipsis artibus docetur, & de quo præcepta traduntur. Ita Astronomiæ materia cœleste corpus est, Arithmeticæ numerus, Geometriæ magnitudo. Dicitur etiã materia id, in quod officium suum explicant artifices: ut statuarij æs, lignum, marmor, & illud omne, ex quo potest statuã confi cere. In ratione differendi utrunq; cernitur materiei genus. Materia, quã docet, & de qua differit, statui potest argumẽtatio in toto genere sumpta, si Dialecticæ nomẽ in postrema significatione usurpetur: si uerò id notet, quod apud Aristotelem significat (quomodo ea uoce hic utemur) probabilis argumentatio. Id ita esse, lex & natura subiecti generis declarat. Ea est, ut ad illud citra finem referantur omnia. Quam perspicuum est argumẽtationi conuenire, & illi, quæ probabilis est. Ad illam enim pertinent, quæ traduntur omnia de simplicibus uocibus, de enuntiatis: ad hanc uerò, quæ in ea parte docẽtur, ac explicantur, & quæ diximus omnia. Oportere autem certum aliquod genus subiectũ esse Dialecticæ, hoc argumento demonstratur: Omnis ars, cùm sit multarum comprehẽsionum collectio, intra certos limites, ac fines contineatur necesse est: constat autem artem esse Dialecticam (quod & posteà sumus ostẽsuri) necesse est igitur in certa aliqua materia rerũ uersetur: id enim est intra certos limites consistere. Adhæc, si non esset certum ac definitum genus rerum, quod Dialectica doceret: sed sola rerum

*Quod sit certũ genus Dial subiectũ 1. ratio.*

*2. ratio.*

sola rerum omnium notiones teneret, aliæ omnes essent planè superuacuæ. Porrò materia, in quam potest Dialecticus opus suum, & officium explicare, nō est certis finibus comprehensa, sed latissimè patet, & res omnis est. Id uerò Aristote. docuit multis in locis, quos omnes longum esset persequi ac percensere. Duo hæc tantùm eius testimonia sat fuerit adduxisse, quia eruditionis sunt plena, & causam rei propositæ declarant: alterum ex quarto Metaphysico, alterum ex undecimo capite prioris libri de reprehensionibus Sophistarum. Illic Metaphysicum, Dialecticum, & Sophistam communes ac generales constituit artifices, & omnia curæ illorum subijcit, ac considerationi. Circa idem, inquit, genus, & Sophistica, & dicendi facultas, & Philosophia uersatur. Quid igitur, dicet aliquis, inter primā Philosophiam, & duas illas artes, Dialecticam, ac Sophisticam intererit? Et hæc quo pacto, quáue ratione distinguentur, cùm sit omnium una, & communis materies? Discrimina ipsemet Arist. subiunxit statim. Ab altera, inquit, facultatis modo, ab altera uerò electione uitæ differre Philosophia uidetur. A Dialectica, differt facultatis modo: utraq; enim de ente, deq; ipsius accidentibus disputat, & syllogismo utitur, ac ratiocinatur. Sed Philosophia hanc ratiocinandi facultatem habet uerorum demonstratricem: Dialectica uerò, de quibus Philosophus demonstrationem habet, ac scientiam, probabiliter ratiocinatur, & hæc experitur, hoc est, periculum facit eorum, qui hæc se intelligere iactāt, cùm eà minimè intelligant. Quod quidem experimētum, cùm non sit ex his, quæ propria sunt his, de quibus in ipsa scientia disputatur, sumptum, sed ex acci

*Quid differat Metaphysica à Dialectica & Sophistica.*

*dentibus eorum, quæ uel non habenti sciētiam nota esse possunt, non protinus ostendit, qui utitur ipso, hunc sciētia præditum esse.* Electione autem Philosophus à Dialectico non differt, quoniam & Dialecticus, cùm experitur, sintne scientia præditi, quam profitentur, an non, in utilitatem spectat Philosophantium: ipsos enim exercet. A Sophistica uerò Philosophia distat electione uitæ atq; proposito. Nam Philosophus id agit, ut eorum, quæ ad se pertinent, doctrinam nāciscatur: Sophista uerò, ut eam habere uideatur. Idq; etiam Dialecticum ab eodem Sophista distinxit. Ita locum Arist. Alexander eleganter enarrauit, & interpretatus est. In II. uerò cap. lib. prioris de reprehensionibus Sophistarum ita legimus: *Nunc autem Dialecticus nullum certum genus habet, in quo quasi in subiecto sibi proprio uersetur: nec ulla in re demonstrationes adhibet, nec talis est artifex, qualis is, qui omnium rerum considerationem suscipit, hoc est, Metaphysicus.* Huius rei causa & ratio proximis uerbis explicatur. *Nulla earum artium, quæ in tractanda certa quadam natura uersatur, & demonstrationibus utitur, percontando differit, & suas probationes accipit ex interrogatione. Nam fit hoc fine interrogatio, ut ex utrauis parte à respondente concessa, qui interrogat ratiocinationem connectat. At accommodata ad rem docēdā, & necessaria ratiocinatio, qualis demonstratio est, fieri ex utraq; parte contradictionis nullo modo potest. Dialectica autem percontatrix est, & totam uim habet ex interrogatione, neq; in differendo demonstrationes adhibet: non igitur in certo aliquo rerum genere, nec in certa materia uersatur.* Idē etiā ex ui nominis & notatione pro-

ne probari potest. in reliquis enim artibus, ipsis nominibus certa genera continentur: Arithmetica numerū, Astrologia astra, Physica naturā, cæteræq; certa genera, quæ proposita habent, cōplexu suo cōtinent, & uocibus ipsis exprimunt. Dialectica uerò omnino dicitur, nullūq; genus nomine suo complectitur; quod etiam de Rhetorica scribit Arist. Dicta est enim à διαλέγομαι, quod Latinè disserere, disputareq; significat. Itaq; non à certo genere & præscripta aliqua materia nomen habet. Sed ut hæc uera sint, nullum scilicet genus rerum subiectum esse Dialecticæ, ita difficilis admodum hinc quæstio exoritur, quæ ut explicetur, danda à nobis opera est. Si tā latè tendimus Dialecticæ materiā, ut curæ eius ac considerationi omnia subijciamus, cæteris artibus nil profectò loci relinquetur, oportebitq; fateri, hanc solā esse necessariam, reliquas esse superuacuas, cùm ea omnia, quæ aliæ pollicentur, hæc una præstet. Quod si ita sit, huius solius studio uacandū erit, neq; fuerit necesse nos per alias artes tanta animi cōtentione, tot annos ire, ac diripi. Posset forsitā huic quæstioni breuiter ex finitione materiæ, quam tradidimus, ita occurri: Subiectam quidem esse rē omnem Dialecticæ, ut materiam, non quam doceat, & de qua præcepta nobis certa præscribat. Id enim si præstaret Dialectica, ut de numero ageret, naturam magnitudinis, astrorum, rerumq; aliarū omnium substātias, ac proprias affectiones exquireret, atq; mōstraret, certè aliæ omnes frustrà essent inuentæ disciplinæ, & è medio tollerentur. Sed quod diximus, de altero materiæ genere intelligi oportet. Quia rem omnē potest disputare, tractareq; probabilibus argumētis, propterea rem omnem

Ex ui nominis probatur dialectica carere genere proprio

Dubitatio.

*dicitur habere subiectam. Vnum tamen certum ac definitum genus docet, scilicet argumentationem, cui conficiẽdæ præcepta destinantur. Vtcunq; hoc modo (quemadmodum diximus) solui hæc quæstio potest: sed penitiùs rẽ scrutari cõuenit, ut quid ab alijs artibus differat Dialectica, pernoscamus: quid aliæ artes sibi suo iure uendicent, & quæ sit Dialecticæ præscripta possessio, Rodolphus Agricola, uir sanè acerrimi iudicij, & diligentiæ singularis, sumpto initio ex ea methodo, qua effectæ sunt artes, quæstionem explicat. Artes paulatim & per incrementa inuentæ sunt, ac constitutæ. Initio una, aut altera experientia annotabatur: deinde ex multis experientijs collecta sunt uniuersa ac generalia præcepta: ut in naturali Philosophia cùm uiderent ex homine hominem gigni, ex igne ignem, sicq; reliqua, quæ gignuntur, causam aliquam habere efficientem, concluserunt, omne quod fit, ui alicuius efficientis fieri. Eadem methodo alia artis principia, & firmamẽta artis inuestigarũt. Deinde ex principijs illa omnia, quæ naturalis Philosophiæ sunt, paulatim concluserunt: & ratiocinando, ac colligẽdo tandem effecerũt artem. Hinc quid sibi naturalis Philosophia uendicet, & quid à Dialecticis sit petitum, uideamus. Sanè principia, & quæ ex ipsis deducta sunt, naturalis Philosophiæ propria uidentur: ratio autem colligendi, & parandæ fidei ad Dialecticum spectat. Idipsum in explicandis quæstionibus facili aliquo exemplo demonstremus. Sit quæstio, Consistát ne summum bonum in uoluptate, quæ fuit Epicurij sententia: de ea differere uolenti, cui usui erit Dialectica? Quid præstabit? id nimirum, ut quæ spectanda sint ad inuenienda argumenta*

*Quid differat Dialectica à cæteris de Rodolphi sententia.*

commen=

commonstret, & qua uia in certam argumentandi formam inuenta redigi debeant. Docebit in primis quærendam esse summi boni diffinitionem, genus, causas, effecta, & quæ summo bono iniunt omnia. Atq; hæc eadem de uoluptate esse quærenda, conferendaq; diligenter cum prioribus: & ubi ista omnia fuerint inuenta, modum cõficiendæ ratiocinationis ostendet. Quænam autem sit diffinitio summi boni, quod genus, quæ causæ, ista tradere speciatim ac docere, non interest Dialectici: sed ab ea Philosophiæ parte petenda sunt, quæ de moribus agit. Res igitur, de quibus Dialecticus disserit, & ex quibus disserit, propriæ sunt artium: colligendi autem modus, & ratio explicandæ quæstionis accepta referenda sunt arti disserendi. Sunt hæc sanè uerè & acutè dicta, sed quibus non omnia discrimina, quæ Dialecticam ab alijs separant, contineãtur, queq; minùs, quàm par est, facultati tribuunt disserendi. Adijcienda ergo alia erunt discrimina, & quod est Dialecticæ proprium, ipsi tribuere oportebit. Primùm differt Dialectica à cæteris illo eodẽ discrimine, quo Aristoteles (quemadmodum præcedenti capite expositum est) Metaphysicam ab eadem distinxit, scilicet facultatis modo. Nam reliquæ facultatẽ quidem habent disserendi, sed illam habent uerorum demõstratricem: & unaquæq; de subiecto sibi genere rationibus disputat necessarijs, quæq; sumptæ sunt ex proprijs rei, de qua agitur, principijs. Ita partem alteram tantùm contradictionis concludunt, uerã, utranq; non possunt. At Dialecticus in rebus omnibus ea damtaxat sectatur, & exquirit, quæ cõmunia sunt, quæ probabilia: propria ipsis artibus relinquit. Ex illis uerò utrãq; par-

*Alia discrimina præter ea quæ tradit Rodolphus.*

*Prima differentia.*

tem contradictionis, ueram & falsam, usus proprio munere, concludit. Ita Dialecticorum argumenta ad docendas artes non sunt accõmodata. Nam cùm non nitantur proprijs artium principijs, uim habent, aut ex cõmuni hominum consensu, aut ex his, quæ respondenti probantur. Hinc constat nõ solam rationem colligendi propriã esse Dialecticorum, sed ad eos quoq; pertinent in explicãdis quæstionibus probabilia & cõmunia. Affertur etiã & hoc alterũ discrimen: reliquæ artes in rebus ipsis ueritatem spectãt, Dialectica uerò probabilitatem tãtùm. His (ni fallor) satis abunde intelligi potest, quantum inter Dialecticã & reliquas artes intersit, nec solam illam esse necessariam, reliquas uerò superuacaneas: tum quæ sint Dialecticorum propria, & quæ sibi uendicent artes aliæ. Sed alia superest quæstio difficilior explicatu, quonã modo Dialectica ad Rhetoricã affecta sit. Sunt enim earum similitudines permultæ. Habent in primis eandẽ materiam communem, rem omnem scilicet. Finis quoq; idem utriq; uidetur esse propositus uerisimilitudo. Postremò facultatis nomen habent eundem: nam ex uerisimilibus, & probabilibus, quod uolunt, efficiunt, atq; cõcludunt. Negari planè non potest, maiorem esse Dialecticæ & Rhetoricæ similitudinem, quàm aliarũ artium: sed inter eas dissimilitudines multæ, ac differentiæ cernũtur. Primùm quid de ijs senserit Aristote. uideamus. Rhetorica ab eo dicta est ἀντίστροφος Dialecticæ, hoc est, quasi altera ex parte Dialecticæ respondens, ut uertit Cicero: quorum uerborum sensum & causam statim subiungit: Nam utraq; (inquit) de ijs est, quæ omniũ quodammodo communia, & nullius definitæ scientiæ esse cognoscuntur.

*Altera differẽtia* | *Alia quæstio.* | *Similitudines Dialecticæ & Rhetori.* | *Dissimilitudines ex verbis Aristote. sumptæ.*

*ſcuntur. Secundo uerò capite primi libri* Rhetoricorũ *Rhetoricam germen,& propaginem uocat* Dialecticæ, *& ciuilis ſcientiæ. Mox eandem partem appellat* Diale cticæ. *Primum illud ad ſimilitudinem pertinet harum ar tium: hæc uerò, quæ proximè dicta ſunt, differentias con tinent, quibus diſtinguuntur. Quæ quoniam latent quo= dammodo, & obſcurè dicta ſunt, explicanda erunt bre= uiter, & euoluenda.* Rhetorica *uis eſt, qua quid in quaq; re probabile eſt perſpicitur. Ea probationibus utitur permultis: quarum aliæ ſine arte ſunt, aliæ arte cõſtant. Quæ ratione parantur perſuaſionum genera ſunt tria. Nam alia conſiſtunt in moribus eius, qui dicit, alia in au- ditore modo quodam afficiendo, alia in ratione ipſa, cũ demonſtremus, aut demonſtrare uideamur. Cùm igitur fi des his omnibus modis fiat, conſtat* Rhetori *omnia iſta eſſe capiunda, ut facultatẽ habeat ratiocinandi, ut mo= res ac uirtutes conſideret, ut affectus contempletur, quid quiſq; ſit, ex quibus naſcitur, & quo pacto.* Ex *his cõclu dit* Ariſt. *Rhetoricam propagimem eſſe ac germen* Dia= lecticæ. *Quod qua ratione debeat intelligi, non eſt diffici le uidere, ſi quæ præfati ſumus conſiderentur. Cùm* Diale cticæ *modum ratiocinandi oſtendat, hanc autem ab ipſa* Rhetorica *mutuetur, & alias præterea faciendæ fidei uias ac rationes excogitet, nititur profectò* Dialectica, *& ab ipſa naſcitur, quemadmodũ ex arbore germẽ. Ger men ſurſculus eſt prægnans frondes gerẽs, qui ab arbore detrahitur & reſecatur ad alias arbores producẽdas.* Id *ipſum eſt ſanè* Rhetorica Dialecticæ *cõparata. Ab illa e= nim producitur, & originẽ ducit, & plura quã* Dialecti ca *comprehẽdit. Hæc ipſa quoq;, quod paulò poſt* Ariſt.

Explicantur verba Arist.

tribuit Rhetoricæ: scilicet partem esse quandam Dialecticæ, multosq; qua ratione accipi debeat, uehementer torquet, interpretantur atq; declarant. Qua ratione Dialecticæ germē Rhetorica appellatur, pars e ius quædā esse cōcluditur: quia ex ipsa nitatur, ac ex ipsa effici, pendereq; quodammodo uideatur. Nisi fortè id, illud idē esse existimemus, quod primo capite statuerat, Rhetoricam Dialecticæ altera ex parte respōdere. Sed quorsum ista? Nimirum ut interesse non parùm inter has duas artes intelligamus. Quis enim germen ab arbore, ac trunco non esse diuersum agnoscit? Quis non uidet partem à toto distare plurimùm? Sunt & aliæ dissimilitudines non paucæ, quarum aliæ ex materia sumuntur, aliæ ex fine, aliæ ex considerandi modo. Ex materia quidem, quòd tametsi utraq; in rebus omnibus uersetur, non ex æquo tamen. Versatur enim Dialectica in rebus uniuersis, Orator in rebus singulis. Hypotheses, hoc est, quæstiones finitæ, & ciuiles sunt potissimùm Oratori subiectæ. Theses autem, ac infinitas quæstiones magna ex parte disputat Dialecticus. Et quamuis res omnes ex æquo utriq; arti subijcerentur, rerum consideratio, & tractandarum modus, longè diuersus est. Dialecticus scientia contentus est, & ad eam omnia refert: quidq; sit in rebus ipsis uerum, quid falsum explorat. Rhetor non ad scientiam solùm, sed ad uirtutem, uitium, & animorum motū, omnia trahit. In omnibus enim, uel æquitatem & iniuriam, uel honestatem & turpitudinem, uel utilitatem & damnū, exquirit. Fine quoq; separantur. Nam Rhetori proposita est persuasio, Dialectico fides. Ille persuadere iudici, hic quod uult ab aduersario conatur extorquere. Addi etiam

Prima differentia Rhetoricæ & Dialecticæ ex materia.

Secunda ex considerationis modo

Tertia ex fine.


etiam & differentia illa potest, quæ sumitur ex orationis genere, quam Cicero in Oratore ad Brutum explicauit his uerbis: Aliud uidetur oratio esse, aliud disputatio: nec idem loqui esse quod dicere: attamen utrunq; in disserendo est. Disputandi ratio, & loquendi, Dialecticorum est: Oratorum autem, dicendi & ornandi. Zeno quidem ille, à quo disciplina Stoicorum est, manu demõstrare solebat, quid inter has artes interesset. Nam cùm compresserat digitos, pugnumq; fecerat, Dialecticã aiebat huiusmodi esse: cùm autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius similem eloquẽtiam esse dicebat. Ex quibus colligitur, quid sibi uendicet Dialecticus, quid ad Rhetorem pertineat. Certè disserere ac disputare, rebusq; fidem facere, Dialecticorum est: ornatus autẽ orationis, proprius est Rhetoris. Superest ut rationes soluamus, quæ eandem esse Dialecticam cum Rhetorica probare uidebantur. Primùm quod de fine adductum est falsum esse, perspicuum euadit ex his, quæ diximus. Diuersum enim utriq; propositum esse finem, demõstrauimus. Quod ad materiã attinet, etsi rem omnẽ habeant utriq; subiectam, non ex æquo tamẽ, in eis explicandis, ac pertractandis diuersa ratione utuntur: quod uel solùm satis esse distinguendis artibus eandem materiã habentibus, 1. Ethico hoc exemplo Arist. aperuit: Faber & Geometra in eadem materia uersantur: uterq; rectum angulũ considerat: sed ille ut ligna rectè poßit coaptare, Geometra uerò quid sit, quæ eius affectiones exquirit, ac contemplatur. Postrema ratio ex his sumpta, quibus uterq; utitur, ab Aristot. soluitur. 2. cap. primi libri Rhetorici. Vtitur, inquit, & ipsa syllogismo, nõ ex quibuscunq;, cũ

*Quarta ex genere orationis*

*Solutio prima rationis.*

*Solutio alterius.*





delirīs quoq; nonnulla uideantur: sed Dialectica ex his, quæ illis uidentur, quibus cum sit disputatio, & ratione egent; Rhetorica ex his, quæ in consultationem uenire solent, ut pote contingentibus.

## De fine artis Dialecticæ, & Dialectici officio.

CAP. X.

Finem aliquem esse Dialecticæ propositum, ex eo cōstat, quòd ars quædam sit, & in omni arte extremū aliquod esse oporteat, in quem omnia respiciāt, ac uniuersa præcepta referantur. Id uerò quale debeat in arte disserendi à nobis cōstitui, colligemus partim ex his, quæ finis sunt propria, partim ex diuisione artium: quarū diuersitatem finium quoq; differentia sequitur. Finis est extremum ad quem omnia referuntur, ipsum uerò aliò referri non potest. Fini hæc conueniunt: Primùm de fine nulla est consultatio, estq; extremum & optimum: ut in medēdi facultate, cui propositus finis est sanitas, illi inesse omnia ista comperiuntur. Sit ne restituenda sanitas morbo laboranti, Medicus non deliberat, sed qua uia & ratione id fieri poßit exquirit. Cadūt itaq; in consultationem ea tātùm, quibus cōparatur finis. Sanitas quoq; ultimum est, ad quod medendi artis præcepta omnia referuntur. Argumento est, quòd ubi ad sanitatem est peruentū, consistit Medicus, & à suo munere ac officio cessat. Postremò nil in hac arte præstantius est, & quod magis expetatur. Diuisiones artium multæ afferuntur, de quibus alio loco dicemus copiosiùs. Nunc eam proposuisse sat fuerit, qua sæpe Galenus usus est. Artes, aliæ rē solùm animo cernunt, quæ finem suum in sola rerum cōtempla-

*Quæ finis propria.*

*Diuisio artium ex Galeno.*

templatione præstituunt, uocantur à Græcis θεωρητικαί; in hoc genere sunt Phisyologia, & omnes Mathematicæ. Aliæ finem sibi statuunt in agendo, nil post actionem operis relinquentes, dicunturq; πρακτικαί: ut ars saltatoria. Aliæ artis opificium post actionẽ edunt, appellãtur ποιητικαί. Harũ duplex est differentia, nam aut nouũ opus efficiunt, ut ædificatoria, aut quod uitium fecit, reficiunt, ac reparant, ut medẽdi ars. Aliæ nil efficiunt, sed acquirũt, ut aucupatoria, piscatoria, & uenatoria. Hæc præfati ad inuestigãdũ Dialecticæ artis finẽ accedamus. Id duplici uia cõsequemur, si ex his quæ præmisimus, ac iecimus tãquã principia fundamẽtaq; ipsum colligamus: aut quis his artibus propositus sit finis consideremus, quæ sunt maximè Dialecticæ similes. Nã similium artiũ similes profectò esse fines oportet, ac sibi mutuò respondẽtes. Atq; (ut à posteriori ordiamur) cõmunis est omniũ consensus nullã artem cũ ratione differendi magis, quàm Rhetoricã conuenire. De Rhetorica autẽ ita à grauissimis autoribus statutũ est, finẽ illi propositũ esse persuasionẽ, quẽ Orator ornata ac copiosa usus oratione ueluti instrumento, consequitur. Simile quicquã in arte Dialectica persuasioni, nil prorsus licebit inuenire præter fidẽ, quæ disputando & differendo paratur. Hæc sanè illi omni ratione respõdet. Nã præter alias, quas inter se habent similitudines, in eo cõueniũt, quòd utraq; propriæ artis instrumentis efficitur. Persuasio copiosa & ornata oratione paratur, fides fit diuisione, diffinitione, aut ratiocinatione, quæ sunt dialecticorũ instrumẽta. Cũ sit igitur persuasio Rhetoricæ finis, aptè fidẽ eã, quæ fit disputãdo ac differẽdo, finẽ artis differendi cõstituere licebit.

*Duplex via inuestigandi finis*

Id ipsum

*Id ipsum & altera quoq; uia ostendamus.* Omnia Dialecticæ præcepta hûc tandem referuntur, ad fidem scilicet faciendam. Non enim Dialecticus conquiescit, quousq; id sit assequutus: & quamprimum hunc finem se putat uidetq; attigisse, nil sibi amplius reliquum esse existimat. Quibus fit, ut sit fides extremũ, ad quod omnia referuntur. Iam de ea non est apud Dialecticos consultatio, sed de eius parandæ ac efficiendæ ratione. Postremò nil est in arte præstantius, & eius gratia cætera expetuntur. Quid enim optima quæq; inuenisse profuerit, & de eisdem rectè iudicasse, nisi quoquo modo propositæ quæstioni fides fiat? Quare cùm ea, quæ sunt finis propria, huic maximè conueniant, hunc esse artis finem non est dubitandum. Prætereà ex artium diuisione proximè tradita id perspicuum euadit, in his artibus, quibus præter cognitionem, opus aliquod propositũ est, hoc ipsum esse finem illarum. Exẽplo nobis esse poßũt operariæ omnes fabrilis, architectura: & quæ sunt ingenuæ Rhetorica, & ars medendi. Quarũ altera præcepta omnia ad persuasionem refert, altera scientiam eorum, quæ disputat, dirigit ad sanitatem: unde fit, ut sit illius finis persuasio, huius uerò sanitas. At Dialectica de numero illarum artium non est, quæ se intra cognitionem continent: quinimò opus habet præter cognitionem, quod respicit, fidem nimirum, cuius faciendæ gratia disputat, & ratiocinatur. Debet igitur hoc ipsum opus finis eius, uel hac sola ratione existimari. Possemus etiam & ea methodo, qua Arist. utitur in suis sententijs confirmandis, hæc quæ diximus de fine, facilè demonstrare, reiectis scilicet & confutatis falsis aliorum omnium de hac re sententijs: sed

cum

*cùm sint permultæ singulas perpendere, refellereq́;, alterius est & temporis, & negotij. Attingemus tantùm uerisimiliores prætermissis, quæ ad eas probandas afferuntur, rationibus: ut nostra sententia uerior esse, cognita, aliorum falsitate deprehendatur. Græci demonstrationem finem statuerunt totius artis, ex 1. ca. lib. Prioris de ratiocinatione sumpta occasione: qui multò aptiùs & uerius materiam demonstrationem appellassent, quemadmodum substantiā genus subiectū primæ Philosophiæ constituit Arist. Quorū sententia, ex his, quæ finis propria esse diximus, falsa esse demonstratur. Nam ipsa demonstratio aliò refertur, nimirum ad scientiam, cuius parādæ est instrumentum. Hac eadem ratione illorū quoq; opinio refellitur, quibus probabilis conclusio finis esse uidetur. Multi ratione uti, aut quæstiones explicare finem esse sibi persuaserunt: quos propositum redarguit argumentum, & à uero aberrare Galenus ostendit in eos disputans, qui in actione finem positum esse existimabant. Cuius uerba, quia rem non mediocriter illustrant, in medium afferre non grauabor. Illa sumpta sunt ex capite uigesimo septimo libri unius, quem inscripsit, num ars tuendæ sanitatis ad medicinam spectet, an potius ad exercitatoriam, & ad hunc modum habent. Cæterùm id ipsum alicui finem esse putare, domum extruere, aut uestem, aut uas, aut sanitatem facere, hominis est non potētis actionem fini præuiam ab ipso fine distinguere: quandoquidem non domum extruere ipsius ædificatoriæ finis est, sed domus: quemadmodum neq; uestem texere, aut nauem coagmentare, aliorúmue unumquodq; fabricari, sed ipsum opus, quod quiescentibus iam à labore artificibus,*

*Sententiæ aliorum de fine refelluntur.*

*Quid Galenus de fine senserit.*

*cibus.*

cibus, adhuc permaneat. Atq; ita effectiuæ artes ab actiuis tantùm dissentiunt, actiuæ namq; cùm ab agēdo desierunt, una desit. Nihil itaq; in saltatoria præter ipsam actionem ostendere possumus: ut in fabrili grabatum, in ædificatoria domum, in medicina sanitatem. Non igitur ædificatio, quemadmodum saltatoriæ saltatio, ædificatoriæ finis est, sed domus res ab actione diuersa. Pari ratione neq; productio, neq; generatio, neq; correctio sanitatis medicinæ finis est: uerùm hæc omnia actio quædā artis communis est, quemadmodū particulares erant secare, urere. &c. Sed sanitas ipsa finis est, quem iā quiescente artifice demonstrare ualemus. Ex quibus perspicuum euadit, cùm disserere, uti ratione, explicare quæstiones, fidem facere actiones quædam esse intelligātur, & ad opus aliquod referri, sintq; id ipsum in arte disserendi, quod in ædificatoria ædificare, in medicina producere sanitatem, uel eandem corrigere, nil eorum finē artis cōstitui debere, sed opus illud, quod huiusmodi actionibus efficitur, & quiescente artifice ostendi potest. Sūt

*Dubitationes duæ*

ista (ut opinor) quæ ad finem pertinent satis abundè explicata, sed Aristoteleo more dubitandum nobis erit de his, & obiectionibus quibusdā exploranda ueritas. Pri-

*Prima dubitatio*

mùm sic obijci potest: Fides cognitio quædam est media inter opinionem & scientiam: hæc autem sola probabili argumentatione paratur: at Dialectica & demonstrationis, & contentiosæ ratiocinationis formam explicat, quibus non fit fides, sed aut sciētia, aut fallax quædā existimatio. De diffinitione quoq; conficienda eadem ars differit, qua non paratur fides, sed simplex quædam rei cognitio. Quibus fit, ut finis hic non toti arti uideatur

esse

esse propositus. Præterea si hic sit finis, is demum censebitur esse Dialecticus, qui fidem fecerit, quia finem artis consequitur. Et qui non fecerit fidem, expers artis existimabitur. At uidemus plerosq; absq; ulla arte id efficere, uel sola autoritate, ut rei propositæ fides adhibeatur, qui falsò sibi artificum nomen uendicassent. Sunt quoq; qui cùm exactè artis præceptis utãtur, & periti sint artifices, sæpe id nõ consequantur, ut rei de qua disserunt credatur, uel propter respõdentis pertinaciam, uel quòd ea sit quæstionis natura, ut illi nequeat fides fieri. His ordine respondeamus. Prima obiectio postulat, ut quid fidei nomine intelligamus, & in qua significatione Dialecticæ nomine utamur, explicemus. Fidem hoc loco (ut rẽ paucis perstringamus) appello probabilem quandã cognitionem, quæ aut simplici instrumẽto, ut pote diffinitione ex communibus quibusdam constituta paratur, qua sola utitur Dialecticus: aut quæ efficitur probabili argumento, & de re composita habetur, per quam aduersarius, & is, cum quo disputatur, quæstionem propositam ueram esse existimat. Dialecticæ nomen, quemadmodum capite septimo docuimus, eã propriè sumptum artem significat, quæ disserendi ex probabilibus rationem ostendit, atq; ex ijs, quæ communia sunt, & qui iisdem utitur, Dialecticus appellatur. Nonnunquam communi ratione usurpatur, ut id ualeat, quod Logicæ uocabulum, quod capite undecimo demonstrabimus. Quo modo sumptum eas omnes complectitur partes, quas diligenter & accuratè persecutus est Arist. Demonstrandi scilicet, quæ de Sophisticis est redargutionibus, & quæ probabilis argumentationis præcepta tradit. In quibus

Secunda dubitatio.

Quid fidei nomine intelligatur.

hæc

hæc potißimùm differentia cernitur: in postrema hoc, quæ propriè Dialecticæ sibi nomen uendicat, artem tradere, & ea uti, unius & eiusdem interest, & qui utrũq; facit, Dialecticus appellatur. In cæteris diuersa hæc sũt, & ad diuersos attinent artifices. Artem Dialecticus docet, qui fallaci argumento decipere studet, Sophista uocatur: qui demonstratione utitur, specialis artifex est, & pro re subiecta, in qua demonstranda uersatur, nomen accipit. Sic ergo proposita obiectio soluitur: Finis à nobis constitutus est eius partis, quæ probabilia docet, hæc fidem, probabilem cognitionem sibi proponit tanquam ultimum scopum. In alijs autem partibus, quæ id tãtùm sibi suo iure uendicant, ut artem doceant, cognitio eius rei, quæ docetur, finis statuẽdus est. Potest quoq; earum finis constitui fides generali ratione sumpta, externus tamen, qualis in eo, quæ frena conficit, uictoria est. Ita primæ dubitationi est satisfactum. Posterioris dubitationis pars altera facilè diluitur ex ipsius finis à nobis constituti intelligentia. Quemadmodum in arte dicendi non quicquid persuadet, artis est particeps, persuadet enim pecunia, persuadet & gratia, sed qui dicendo copiosa & ornata oratione id præstat, is Orator habetur: siquidem artis finis persuasio ea est, quæ eo modo efficitur: haud secus in hac ratione differendi, qui fidẽ fecerit disserendo, disputando, sequutus artis præcepto, is sibi Dialectici nomẽ suo iure uendicabit. Qui uerò sua dumtaxat autoritate id effecerit, (credunt enim homines aliquando non tam rationi, quàm dicẽti) nihilo magis nomen periti Dialectici merebitur, quàm optimi Imperatoris, cui non sua ipsius uirtus, sed hostium metus uictoriam

*Soluitur posterior dubitatio*

riam

*riam obtulerit. Similis itaq; erit Dialecticæ fides, quæ disserendo & disputando instrumento aliquo paratur. Quod uerò attinet ad posteriorem eiusdem dubitationis partem, nouisse oportet, artes non singula rerum spectare, sed omnes in commune. Nam quod operatur, nempe artifex, circa diductas res uersatur, & singulares: ars nil operatur, tantùm docet. Medicina enim non huius, aut illius sanitatem curat, sed in uniuersum illam considerat, quam necesse est ex præceptis & institutione sua consequi: quæ posteà ab artifice in singulos hominum tã quam ex fonte diducitur. Quocirca si artis documenta, cùm nil foris impediat, sanitatem adferre nequeũt, nondum perfectè est ars exculpta: sin sanitatem euenire est necesse, profectò plena est, & suis numeris absoluta. Qui igitur nulla re impediente finem, aut Dialecticæ, aut cuiusq; artis alterius non consequetur, is profectò artifex peritus non uerè iudicabitur, nec credẽdum est uti præceptis artis. At si quid obstet, tametsi actionem eius finis non consequatur, non est sua laude fraudãdus: quod pulchrè ab Arist. 1. Topicorum his uerbis expositũ est. Sed hæc tũ demũ perfecta in nobis erit ratio, cùm id accidet nobis, quod ijs, qui arte Rhetorica, Medicina, cæterisq; facultatibus sunt præditi, id est, cùm ex ijs, quæ cõmodè ad rẽ propositã adhiberi possunt, efficiemus quæ uolumus. Neq; enim, uel Orator omnibus modis persuadere solet, uel Medicus curationẽ adhibere: sed si nil prætermittat eorum, quæ adhiberi poßint, tum deniq; & peritum eum, & artificem iudicamus. Ac de fine artis satis multa. Reliquum erat, ut de officio Dialectici ageremus. Sed quoniam pleriq; alium artifici, alium arti proposi-*

tum esse finem arbitrantur, examinanda ista erũt prius, & uera sint nécne discutiẽda. Artis finem id esse iudicãt, quod ultimum est, quod optimum: ut medendi facultatis sanitatẽ: artificis uero, ut Medici, nil prætermittere eorum, quæ ad curationem sunt adhibenda. Ita quod mediũ est arti, finis est artifici: & neq; ars, neq; artifex suo fine fraudantur. Verùm qui ita existimant, officium finẽ se facere non uident. Est enim Medici officium præstare ea omnia, quæ præstari ex arte poßũt ad curãdũ. Quare aliter existimo esse sentiendum. Quod ut commodiùs explicetur, distinctione uti oportebit. Artifex, ut Dialecticus, is in primis appellatur, qui artẽ docet: tũ ille, qui eandem exercet, & eius præceptis utitur: quorum diuersi sunt fines, quemadmodum & diuersa officia. Eius, qui docet, munus est omnium cõsensu, artem ipsam tradere. Quod sequitur disciplina, & artis, quæ docetur, cognitio, in eo qui discit. Quare hæc ipsa artis intelligentia, quã efficere in aliorum mentibus docendo nititur, artificis docentis finis & scopus erit constituendus. Artificem autem accipi uolumus, quã artifex est, & artem profitetur, ac tradit. Nã hominis nõ unus atq; idẽ finis est. Cùm sint enim hominũ iudicia diuersa, & ex iudicijs appetitus uarij, alij alios sibi artiũ fines statuerũt. In quibusdã multum ualet pecuniæ respectus, omnia hûc referũt. Alij nomen & gloriam malunt, dignitatem alij, alij potentiã. Artificis uerò, qui artem exercet, quemadmodum actio longe diuersa est, distinctumq; officium, ita alium esse finem oportuit: illum tamẽ eundẽ, quem sibi ars ipsa propositum habet. Itaq; Dialectici, quã Dialecticus est, artisq; præcepta exequitur, scopus erit fides, quam facit disserendo.

Quid alij de fine artificis sentiant.

Vera de fine artificis sententia.

disserendo. Id enim illi ultimum est, quod assequutus nil tandem ad id præstandum, quod sui muneris esse uidebatur, superesse existimat: & donec eò peruenerit, non conquiescit: id præstantißimum esse ducit, nec de eo censet esse deliberandum, & totam disputationem ad fidem faciendam dirigit, atq; refert. Quare uel ex his, quæ finis sunt propria, hunc esse Dialecticæ finem, quem ipsa etiã ars respicit, perspicuum euadit. Sed iam ad officium explicandum conuertenda nobis oratio est. Officium est, quod artifex facere debet ad finem propositum consequendum. Officio hæc conueniunt, quæ ex diffinitione colligũtur: primùm omne officium in aliqua actione positũ est, quo potißimùm à fine separatur in his artibus, quibus opus aliquod propositum est. Deinde officiũ proximè finem antecedit: est enim actio quædam, quam, si nihil impediat, finis artis sequitur statim. Postremò unius artis, quemadmodum unus est finis, ita unum est commune opus & officium artificis, sub quo singulares omnes actiones comprehenduntur. Quod Galenus libro uno ad Trasybulum diligentißimè persequutus est, & in Arte medendi exactißimè quo modo sese haberet interpretatus. Qui cùm multa de ea re uigesimo secundo, uigesimo tertio, & uigesimo quarto capitibus disseruisset, sũmam in fine.25.capitis his uerbis complexus est: in Medicinali arte innumeræ sunt (ut ita dixerim) singulares actiones. sed generale opus omnibus commune est. Nam & corpori aliquid, ut superuacuum detrahens, aut aliquid, quod deficiat, adijciens, unum uterq; in uniuersum præstat, corpori scilicet naturalem modum comparans, qui nihil aliud est, quàm sanitas. Ex his quodnam

*Officium quid, & illi quæ cõueniant.*

*sit proprium Dialectici officium, prætermißis innumeris, falsisq; multorum sententiys, paucis aperiamus. In primis nullum artis præceptum officium potest appellari: positum enim est (quemadmodum diximus) in actione, nec aliud esse uidetur, quàm artis exercitatio, & executio præceptorum eius. Iam inuenire, & iudicare, & quod his simile est, officij nomen haudquaquam merebitur. Nã neq; sola inuentione, neq; iudicio solo fides proxime paratur. Aliò ista referuntur, quod fini proximum est, atque uicinum. Postremò diffinire, diuidere, aut ratiocinari, unumquodq; per se sumptum non est officium Dialectici proprium, non enim omnes sub se speciales cõtinet Dialectici actiones. Statuendum igitur nobis erit cõmune aliquod opus, ad quod omnia, quæ exercet Dialecticus, referantur. Aristot. duo uidetur Dialecticorum officia constituisse, interrogare, & respondere. Nam. 1. Rhetorico omnes quodammodo Dialecticæ esse participes ex eo demonstrat, quòd omnes usq; ad certum finem interrogare norunt, & respondere. Idem. 1. Topico Dialecticam uocat facultatẽ, qua instructi, de re omni proposita ex probabilibus disserere possumus, & disputationem sustinentes aptè respondere. Verùm quia & qui interrogat, & qui respondet, ad fidem faciendam quæstioni, de qua agitur, omnia refert, & id facit uterq; disserendo, licebit commune opus & officium Dialectici unum statuere, disserere & disputare ex probabilibus ad fidem faciendam, seu fidem facere rei de qua agitur, ut id tam ad eum qui interrogat, quàm qui respondet, pertinere existimemus. Disserere uerò intelligendum est nõ temerè, quemadmodum faciunt, qui solius naturæ præsidijs*

*Arist. duo constituit officia.*

*Cõmune officium unũ est.*

dijs muniti id præstant: sed certa ratione, & ex arte. Vt enim in arte Rhetorica, non qui quouis modo persuaserit, Oratoris munere fungi existimabitur, sed qui ornata & copiosa oratione secutus artis præcepta id fecerit: ita Dialectici officium is demum exercebit, qui de rebus quemadmodũ ars ipsa præscribit, differuerit. Hoc generale officium est, & cõmune opus, quod mox in duo specialia distribuitur, interrogare scilicet, & respondere. Vtriq; uerò actiones multæ subiectæ sunt, quemadmodũ multa sunt & interroganti præstanda, & ipsi qui respõdet: quæ omnia diligentißimè. 8. Topico persecutus est Arist. Cicero in ea, quam tradidit Dialecticæ finitione, Ars, quæ docet rem uniuersam distribuere in partes, latentem explicare diffiniendo, obscura explanare interpretando, ambigua primùm uidere, deinde distinguere, postremò habere regulam, qua uera & falsa iudicarentur, & quæ quibus propositis essent, quæq; non essent cõsequentia, partem aliquam actionum, tum ad interrogãtem, tum ad respondentem pertinentium complexus est. Sed sunt aliæ præterea non paucæ, quas ex loco iam citato commodè petere licebit. Vnum hoc tantùm restat explicandum, Dialectici officium hoc loco à nobis esse cõstitutum eius, qui uerè Dialecticus est, & eam artẽ exercet, quæ probabiliter disserendi rationem ostendit. Sublata autem parte illa probabiliter, commune relinquetur officium, & generalis artificis proprium.

## Quid sit Dialectica.

### CAP. XI.

Logicæ nomen non legitur in libris Aristo. Diogenes Laërtius Logicæ partes quatuor facit, Analyticen,

*ticen, primam Philosophiam, Dialecticam, & Rhetoricam. De cuius sententia cõmune erit Logicæ uocabulum, latè patens: diceturq́; Dialectica ad Logicam affecta esse, ut pars ad totum. Seuerinus Boëtius ueteres Peripateticos Logicen appellasse scribit disciplinam disserendi magistrã, quàm ipse in hunc modum diffinit: Logica, inquit, est peritia disserendi, quæ uel de diffinitione, uel de partitione, uel de collectione, id est, uel de ueris ac necessariis, uel de probabilibus ac uerisimilibus, uel de Sophisticis ac cauillatorijs argumentationibus pertractat. Dialecticam autem uocat cum Aristote. facultatem per probabilia colligẽdi. Ab alijs, ut à Cicerone nomina cõfunduntur. Is enim utraq; uoce utitur in eadem significatione. In libro de finibus bonorum & malorum, iam in altera, inquit, Philosophiæ parte, quæ est quærendi, ac disserendi, quæ Logice dicitur. Epicurus planè inermis ac nudus est. Et de Fato: Logice, inquit, quã rati nẽ disserendi uoco: Eãdem artem sæpe nominat Dialecticam: ut in eodem libro de finibus bon. & mal. Dialecticã, inquit, cõtemnit Epicurus. Nobis probatur Boëtij sentẽtia, quã hoc loco, & in his quæ sequuntur perpetuò tenebimus. Intelligemus itaq; Logicæ nomine eam artẽ, quam paulò ante Dialecticæ nomine significari diximus, sed generaliùs sumpto, ac latiùs, quàm uis ipsius nominis postulat: Ad quam pertinet omnem ratiocinandi modũ præscribere. Dicta autem est Logice ἀπὸ τοῦ λόγου, ut significet λόγος, non sermonem, sed argumẽtum & rationem, qua sit rationalis disciplina. Sic uerò appellata est, non tam quòd sit certa methodo ac ratione constituta, id enim omni arti cõmune est, quàm quòd rationi præsit, eiusq́;*

*Quo pacto sit Dialectica ad Logicam affecta.*

*Boëtij sententia sequitur*

dux

*dux quædā sit & magistra. Quod Seuerinus Boëtius in cōmentario Topi. Cicer. his uerbis exposuit: Cùm Philosophia maximis in rebus studium suum operamq; consumat, cumq; & in naturalibus inspectionem speculationēq; adhibeat, & in moralibus actionē, & sic formare gestiat mores, ut uera uitæ ratio persuaserit, euenire necesse est, ut secundū id, quod ratio tenēdū, omittendū ue, quod faciendū, aut non faciendū esse decreuerit, uel iudicium constituatur, uel exercendæ uitæ ratio deligatur. Hæc autem ratio nisi uia quadam processerit, sæpe in multos necesse est labatur errores. Quod ne paßim fieret, atq; ut in certis regulis tractatus insisteret, uisum est antiquæ Philosophiæ ducibus, ut ipsarum ratiocinationum, quibus aliquid inquirēdum esset, naturam penitùs ante discuterent, ut his purgatis atque compositis, uel in speculatione ueritatis, uel in exercendis uirtutibus uteremur. Hæc est disciplina disserendi magistra, quam Logicen Peripatetici ueteres appellauerunt. Dialectica uerò nomen erit partis Logicæ, eius scilicet, quæ uiā docet conficiēdæ probabilis argumentationis: in qua significatione usum esse Aristo. hac uoce, præcedentibus capitibus demonstrauimus. Nobis propositū est utriusq; tradere deffinitionem. Sed in primis eam, quæ propria est Dialecticæ proponemus, ex qua detractis proprijs, communis Logicæ finitio relinquetur. Inuestigāda autē est ea seruata methodo, quā Aristo. in præceptis reliquit, ut genere eius cognito, differētias ei adijciamus, donec fiat oratio rei, quæ diffinitur, propria & æqualis: Ac de genere quidē nō usqueadeo ambigitur: omnes enim artē esse Dialecticā fatētur: quod uel his argumentis confirmari*

*Quid Dialectica nomine intelligatur*

*Genus dialectica ars.*

potest: Artes omnes Dialecticæ beneficio effectæ sunt: nã diuidendo, diffiniendo, & colligendo constitutæ fuerunt, quæ omnia Dialecticæ accepta sunt referenda. Quare si tanta est Dialecticæ uis, ut cæteræ ipsius ope nomen artium sint cõsecutæ, non dubium est, quin & ipsa debeat, uel primo loco in artibus numerari. Iam si ars est multitudo comprehensionum ad finem aliquem uitæ utilẽ spectantium, quis non uidet artem esse Dialecticam? Varijs enim nos instruit præceptionum formis, quibus quid uerum sit in rebus singulis, quid falsum, exploremus, parandæq; fidei rationem intelligamus. Quo quid potest esse utilius in uita hominũ? Fallimur sæpe numero specie ueri, falsa pro ueris accipimus, uera pro falsis: incurrit mens, dum ratiocinatur, in uarios errores, & uitia permulta: quibus omnibus malis solius Dialecticæ opera potest occurri. Sit igitur relictum artem esse Dialecticam.

*Quo distinguantur artes.* Nunc differentias adijciamus, quibus à reliquis artibus separetur. Artes non alio aptiùs ac ueriùs, quàm fine separantur: nam materiam contingit diuersas artes habere eandem, quod de Dialectica & Rhetorica omnes fatentur. Quòd si quis materia certa ratione considerata, differre artes contenderit, non reluctabor, modò rationem illam certam ex fine esse petitam mihi concedat: atq; ita omnis differentiæ principium à fine proficisci. Possunt quoq; officijs proprijs artificum distingui artes, cùm perspicuum sit atq; certum, unumquenq; artificem munere fungi, à quouis alio longè lateq; differenti. *Finitiones Dialecticæ uariæ.* Dialecticam igitur, ex duabus officij partibus, in quas commune opus Dialectici proximè distribuitur, Arist. diffinit artẽ, seu methodũ, quæ docet de re quauis proposita

ex pro=

*ex probabilibus disserere,& conuenienter respondere. A fine diffinietur in hunc modum:* Ars, *quæ rationẽ tradit ex his, quæ probabilia sunt, fidei faciendæ.* Ex *qua diffinitione si partem illam, ex his, quæ probabilia sunt, detraxerimus,& fidei nomen generali ratione sumatur,* Logicæ *finitio relinquetur:* Ars,*quæ rationem docet faciendæ fidei.* Quòd *si quis materiam, finem,& commune opus* Dialecticæ *uelit una diffinitione complecti, poterit sanè hoc pacto diffinire :* Dialectica *est, ars de re quauis proposita, probabiliter,& in utranq; partẽ disserendi, ad faciendam fidem.* Postulabat *hic locus, ut quid esset probabile,& quæ sint de eo sententiæ paulò fusiùs explicaremus: sed plena & perfecta de hac re disputatio in* Topicis *suscipietur.* Nunc *finitionem* Arist.*sat fuerit breuiter attigisse, ne pars ulla diffinitionis ignoretur.* Probabile Arist.*uocat, quod uidetur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus: & ijs uel omnibus, uel pluribus, uel maximè probatis.* Omnibus *uidetur,* Deum *religiosè colendum, exhibendam parentibus pietatem: compluribus, ut esse parãdas opes, honores expetendos: sapientibus omnibus, meliorem esse diuitijs eruditionem: plurimis, tametsi non omnibus, summum bonum in actione uirtutis esse collocandum: deniq; spectatis, ac probatæ sapientiæ, ut quod uisum est* Arist.*quod* Platoni. Probabile, *à uero & falso distat plurimum: hæc enim ex rebus pendent, uerum cum re conuenit, falsum à re ipsa dissentit.* Probabile *uerò in opinione positum est.* Vnde *fit, ut sint probabilia multa uera, falsa itidem multa, quod hominum iudicijs, & existimationibus, quas de rebus habent, accidere uidemus.* Multa *se mihi hoc loco offerunt,*

*Quid probabile.*

de quibus uideo à plerisq; ambigi ac dubitari: sed quæ potiora sunt & ad rē, quæ disputatur, exactius cognoscēdā facere uidebūtur, breuiter perstringemus: ex his enim cætera perspicua fient. Ac primùm Dialecticam, Rhetoricam facultates uocat Aristo. Facultas autē plurimùm ab arte distat, cùm hæc usu & exercitatione paretur, illa insit natura: non igitur ars uerè dici potuit Dialectica. Iam scientiā esse Dialecticā, nemo ausit diffiteri: scientia uerò habitus ab arte diuersus. 6. Ethico constituitur. Quid quòd nec diffinitio artis eodē loco ab Arist. traditā, recta ratio eorū, quæ fieri à nobis possunt, accōmodari Dialecticæ ullo modo potest? Postremò cùm ex generis, ac finitionis locis argumēta ducat Dialecticus (eius enim illi proprij sunt) hæc autē sint necessaria: ut cùm esse hominē ex eo concludimus, quòd sit rationis particeps, aut non esse hominē, quia nec animal quidem sit, quare ars ex probabilibus disserēdi, potiùs quàm ex necessarijs dicta est Dialectica? Primæ dubitationis nodū soluit Aristo. 1. Oratorio. Dicuntur Rhetorica & Dialectica facultates, nō quòd à natura sint inditæ, quemadmodū facultates sentiēdi: sed quòd ij, qui his instructi sunt, poßint in partes cōtrarias agere. Nā Orator idē aliquando honestum esse, aliquādo nō esse: iustū itidem & iniustum, utile & damnū afferens, conatur ostendere. Et Dialecticus quauis proposita quæstione, partem utranq; ex probabilibus potest cōcludere: quod his, quæ in alijs scientijs uersantur, integrū nō est. Nam tametsi quidā contrariorū habeant cognitionē, scopus tamen, quem sibi proposuerunt, hic est, ut partem alterā, quæ melior est, definitè cōsequātur: Medicus ut sanet, aliptes, ut firmā corporis cō

*Obiectio prima.*

*Secunda dubitatio.*

*Tertia dubitatio.*

*Solutio primæ obiectionis.*

*stitutionẽ tueatur.* Itaq; *cognitio contrariorũ,quâ asse-quũtur,non est apud eos præcipua,sed unius tantum,& ex eo alterum cognoscunt,quemadmodũ in medendi facultate,ex eorum scientia,quæ sanitatẽ inducunt,illorũ etiam cognitio efficitur,quæ morbos gignũt.* Dialectico *uerò, &* Rhetori *simili modo,& ex æquo proposita est contrariorum demonstratio:unde fit,ut solæ hæ artes facultates appellẽtur.* Id *enim uerè aliquid potest,quod cõtraria potest. Secunda ratio soluitur ex diuersa artis significatione,in qua solet ab autoribus frequẽter accipi.* Arist. *artis nomine utitur, quâ ad mechanicas & operarias pertinet: scientiam autem appellat cognitionem certißimã,& necessariam,quæ demõstratione paratur.* Hoc *modo sumptis uocibus, plurimũ interest inter artẽ & scientiã.suntq; diuersi habitus,& artis nomen nõ potest* Dialecticæ *accõmodari,interdũ paulò latiùs uocabula ista sumuntur: ut sit ars(quemadmodũ diximus)collectio ex multis præceptionibus,ad finẽ aliquẽ uitæ utilem spectãtibus:scientia uerò cognitio, quæ demonstratione aliqua efficitur,tametsi non sit summa illa & exactißima,qua* Mathe.*utuntur.* Atq; *hæc artis ac scientiæ significatio &* Dialecticam,*& alias omnes disciplinas comprehendit.* Postremæ *obiectioni nonnulli ita satisfaciũt, res omnes ex maiore parte spectãdas esse, & ex eo,quod fiat sæpiùs.* Nam Dialectica *necessarijs utitur rationibus, sed quia id rarò facit,nõ exprimitur: id autẽ quod ferè tractat, exprimitur, & ex eo artis finitio ducitur.* Sed *& id quoq; ad dubitationem respõderi potest: uti* Dialecticum *necessarijs,non quâ necessaria sunt, sed quâ uidentur omnibus,aut pluribus.&c. nil enim uetat idem*

Soluitur secunda.

Postrema dissoluitur.

*idem & necessarium esse & probabile, modò rationes horum esse diuersas intelligamus.*

De partibus Dialecticæ.

CAP. XII

*CVm sit* Dialectica *ratio disserendi, disserere autem nemo poßit, nisi inueniat, & iudicet, duabus sanè partibus tota ars cōtineri meritò censetur,* Inuentione, & Iudicio. Inuētio, *uel* Ciceronis *testimonio,* Iudicio *natura prior est, & usu potior.* Eius *uis & officiū ad hunc, qui sequitur, modum commodè explicabitur: in omni re ostendenda inueniatur aliquid necesse est diuersum ab eo, cui fidem facere uolumus.* Nulli *enim rei dubiæ potest ex seipsa fides constare: sed ex prioribus, ac notioribus ducenda omnis probatio est.* Neq; *probandis omnibus omnia conueniunt, quemadmodum non quiuis calceus cuiuis pedi est accommodatus.* Quod *inuentum est, consentaneum sit oportet rei, de qua quæritur, & cum extremis quæstionis affinitate aliqua cohærere.* Id *argumentationis medium uocant, seu argumentum: quod à* Cicerone *rectè diffinitur,* Ratio *rei dubiæ faciens fidem.* Quæ *igitur* Dialecticæ *pars medij huius, seu argumenti inueniendi rationem docet,* Inuentio *appellatur.* Cuius *officium in eo positum est totum, ut instrumenta quædam, hoc est, communes inuentionibus locos suppeditet, uocaturq; τοπική.* Diffinitur *autem aptè in hunc modū* Ratio, *seu methodus inueniendorum locorum, ex quibus promuntur argumenta probabilia, ad faciendam fidem rei, de qua quæritur.* Altera *pars* Dialecticæ, *in iudicādo posita, ἀναλυτική dicta est: quæ qualis sit, & quid præstet, hac similitudine pulchrè à* Rodolpho *quadā ex*

*Munus inuētionis*

parte

parte fuit expositum; cui adijciemus quæ desiderantur: in metiendis rebus, cùm altera alteri applicari non potest, tertiam aliquam sumimus magnitudinem uelut mẽsuram: quæ si utriq; sit æqualis, concludimus æquales illas esse: si inæqualis, inæquales: quod exploratum euadit ex axiomate Mathemat. Quæ uni & eidem sunt æqualia, sunt inter se æqualia. Porrò communis illa mensura fallax esse potest, duplici modo, si extendi poßit, aut contrahi, uel ipsis rebus non aptè accommodetur. Quod est in metiendis rebus communis mensura, idipsum esse medium seu argumentum in explicandis quæstionibus certum est. Et qui errores accidunt, dum rerum quantitatẽ exploramus, ijdem in disserendo contingunt. Nam quod inuentum est medium aliquando solo aspectu unum est, reuerà multiplex: interdum probabilè uidetur, cum sit necessarium, aut contrà: fit quoq; ut sit in speciem tantũ probabile, & perinde eo utamur, ac si natura tale esset. Aliquando mediũ cum extremis quæstionis non aptè componitur, quod cùm accidit, fallimur argumentatione, & consentanea pro dissentaneis accipimus. Quibus omnibus erroribus hac iudicij parte occurritur, quæ tota ad iudicandum de medio refertur, & duabus partibus continetur: altera medij naturam discernere docet, ac iudicare, sit uerum ac necessarium, an uerisimile, an in speciem tantùm probabile: Altera præcepta medij cõnectendi cum extremis quæstionis subministrat, & quo pacto, quæ inuenta sunt, in certam argumentandi formam reuocari debeant, ostendit. Est autem sola Dialectica in has duas partes distributa, quia sola de his præcepta tradit, & ab ipsa reliquæ artes inueniendi ac iudican-

Duplex iudicij pars.

*dicandi rationem mutuantur. Ac de methodo tradendarum artium tum in genere, tum qua ad differendi rationem spectat, de origine artis Dialecticæ, de materia, de fine, de Dialectici officio, de Dialecticæ finitione, & eius partibus, hæc dicta sint.*

Primi libri de compositione Dialectica, finis.

# LIBER SECVNDVS COMPOSITIONIS DIALECTICAE,

*de differendi instrumentis.*

*Quid uox significans, quid oratio, enunciatio, & quot eius formæ.*

CAP. I.



VM Diuisionum, ac Definitionum materia non aliunde petatur, quàm ex Categorijs, quæ genera, differentias, & accidẽtia suppeditãt, ex quibus illæ conflantur, & argumentatio ex pronunciatis coalescat, de quibus in lib. de Interpretatione differitur, postulabat certè ordinis ratio, quem sumus in prima editione sequuti, ut liber hic præsens prioribus illis subiungeretur. Sed nos hic non tam hunc ordinem sequemur, quàm primos in tyronibus Philosophiæ candidatis impetus & æstuantem ratiocinandi libidinem, qui nullos

los huius artis fore putant sibi fructus, ni quoquomodo possint inter se inuicem mutua disputatione studia conferre, pertæsi moræ diuturnioris. Vt igitur illorum ferueti desyderio satisfiat, & ueteri huius Gymnasij cõsuetudini, uisum est disputationẽ de tribus differendi instrumentis priori libro annectere, quibus omnibus adolescentes instructi, ad reliqua, quæ sequentibus libris continentur, perdiscenda, eodem, quo scripta sunt, ordine traducantur. Quoniam autem instrumenta hæc differendi singula ex uocibus significantibus constantur, & argumentatio ex pronunciatis, attingenda ista erunt breuiter, finitionibus tãtum eorũ adductis, copiosius libro de interpretatione pertractãda. Vox significans cõmunis nota est, qua alij alijs notiones suas explicant: ea uerò qua audita nil animo concipimus, non significat. Voces, quæ significant, aliæ natura significant, positione aliæ. Huius generis sunt, quæ rebus ipsis fuerunt ab hominibus inditæ: prioris uerò, quæ suam ex hominum consensu significationem non traxerunt. Ex illis oratio conflatur, quæ ab Arist. definitur uox significans ex hominum instituto, cuius pars aliqua seiuncta separataq; significat. Oratio aut perfecta est, aut imperfecta: perfecta uocatur, quæ perfectam sententiam imprimit in animo audientium: imperfecta, quæ nõ imprimit, & parit. Perfecta oratio, quæ uerũ aliquod, aut falsum declarat, enunciatio dicitur. Huius formæ sunt, uera & falsa, simplex & composita, affirmatio & negatio: simplicis autem, uniuersa, specialis, indefinita, singularis. Vera est, quæ perinde significat atq; res se habet, falsa, quæ longe aliter atq; res sese habet significat. Simplex, quæ sub-

iecto constat & attributo, & uerbo uno indicantis modi. Composita, quæ conflatur ex multis simplicibus uinculo aliquo connexis, aut per se apte cohærentibus. Affirmatio dicitur, in qua uerbum præcipuũ asseritur. Negatio, in qua præcipuũ uerbũ negatur. Vniuersa uocatur, cuius subiectum communis uox est, & notam continet uniuersi generis: Specialis, cuius subiectum specialem cõtinet notã: Indefinita, quæ nullam continet notam: Singularis, quæ constat ex subiecto uoce singulari.

Quot & quæ sint Dialectici instrumenta.

CAP. II.

Cum sint duæ artium differentiæ, aliæ quæ post se aliquid operis relinquunt: aliæ uerò quibus propositus est finis cognitio sola. Hæ, quia nihil operis efficiũt, nullis egent instrumentis: illæ absq; instrumẽtis suo munere præclare fungi, & finem sibi propositum consequi nullo modo possunt. Huius ordinis Dialectiam esse pri. lib. aperte demonstrauimus. Quare instrumenta quoq; illi subijcere debemus, quorum adminiculo opus, ad quod præceptiones omnes Dialecticæ referũtur, perficiat & absoluat. Porrò cùm sit Dialectica generalis ars, hoc est, quæ ad certum genus minime arctatur, & materiam habeat, rem omnem, necesse est communibus utatur instrumentis, quæ tractandis rebus omnibus possint accommodari. Hic cùm arti Dialecticæ instrumenta tribuimus, id propterea dictum existimari debet, quòd ipsa eorum conficiendorum rationem doceat. Alioqui si res (quod aiunt) ad calculos reuocetur instrumenta nõ sunt artis, sed artificis. Potest enim ars suis omnibus partibus esse absoluta, tametsi nihil efficiat. Quare nullis ipsa

lis ipsa egebit instrumentis. Pertinebunt ergo hæc ad artificem, cuius interest agere & operari. Dialecticorum instrumētum oratio est, sed cōmune Rhetori. Quod nam autem sit proprium ex diuisione orationis apte Rodolphus inuestigauit. Orationis diuisio duplex est. Priori in continentem & concisam distribuitur. Continentes orationes sunt ac perpetuæ, quibus Rhetores utuntur, laudationes, uituperationes, cohortationes. Concisa oratio est Dialecticorum, qualem postulant disputationes, & alternantia scholasticorum certamina. Altera orationis diuisio sumitur ab effectu, cui destinatur: is autē est docere. Porrò qui docetur, aut paratus est sponte ad credendum, aut orationis ui cogendus. Vnde duplex orationis nascitur differentia, altera, qua rem tātùm exponimus, & auditorem facimus mentis nostræ participem: altera, qua aduersarium peruincere cònamur, & renitentem in nostram trahere sententiam. Illa expositio uocatur, hæc argumentatio. Vtra autem sit proprium atq; legitimum Dialectici instrumentum, ex fine, quem ipsi subiecimus, percipi potest. Cùm enim finem habeat propositam fidem, quæ fit differendo, fides autem sine argumentis & apta eorum collocatione fieri nequeat, nemini dubium erit, argumentationem præcipuum ac præstantißimum fore Dialecticorum instrumentum. Adiecta sunt prætereà & alia duo, diffinitio, & Diuisio, quæ sibi Dialectici tanquàm suo iure uendicarunt. Plura his non sunt inuenta, nec pauciora sufficiunt: quod cōstat, uel hæc sola ratione: Omne id de quo suscipitur disputatio, aut simplex est, aut compositum: si sit simplex, diffinitione explicatur, aut diuisione: Compositum.

F

*positum, argumentatione: præter hæc igitur, nullum aliud desyderatur. Habet autem hunc ordinem inter se: primum locum sibi diuisio uendicat, postremum tenet argumentatio, medium diffinitio. Nam diuisione, diffinitio inuestigatur: diffinitio autem pars est, ex qua argumentatio constituitur: ea præsertim, quæ certißima est omnium & efficacißima, hoc est, demonstratio. Hæc uera sunt si omnino & uniuersè diuisio definitioni comparetur. At in re eadē non dubiū est, quin definitio diuisionem naturæ ordine antecedat. Est enim definitio rei cō stitutio quædam, diuisio autem rei in partes solutio: constitutio autem solutione prior est. Cùm præsertim solui in partes nequeat, quin composita sit prius.*

## *Quid finitio sit.*

### CAPVT. III.

EXigebat ordo, quo tria instrumenta inter se sunt cōstituta, ut à definitione, ut pote omnium prima, exordiremur: sed cùm hæc ipsa quid sit, aliter quàm per definitionem explicari nequeat, ab ea commodè initiū ducere licebit. Diffinitio ab Aristote. terminus dicitur, hoc est, quasi circunscriptio limitum, & quædam eorum designatio, intra quos res ipsa clauditur. Nam ut natura in quasdam formarum similitudines cunta disposuit, ita singula ab alijs seclusit, quæ illa similitudine non tenentur. Confert itaq; diuisio ad ea explicanda, quæ affinitate aliqua coniuncta sunt: diffinitio uerò, ad segregationem à diuersis, & absimilibus. Sit igitur definitio, oratio, quæ rem propositam, de qua agitur, explicat ambitu quā breuißimo. Vt ars de re quauis proposita differēdi probabiliter, finitio est dialecticæ, ani-

mal

mal particeps rationis, hominis, illa enim quid Dialecti ca sit explanat: hæc hominis naturā explicat quàm breuißimo ambitu. Quo numero contineri debeant finitionis partes, nec Aristote. scriptum reliquit, nec poteſt certis definiri præceptis: nam breuißimæ multorum ingenijs non ſufficiunt, & ſi quid redundet, uiti oſam reddit finitionem. Proſpiciendum eſt diligenter, ut rei natura explicetur, & quò ad fieri poterit breuißimo ambitu. Parantur enim finitiones facili & expedite rerū intelligentiæ, quæ magna uerborum congerie, & longo orationis ambitu perturbatur.

## De partibus Definitionis.

### CAPVT. IIII.

GEnera definitionum duo eſſe, uulgus Dialecticorum recepit, nominis, & rei. Nominis definitionem uocant, qua nominis, aut locutionis ſignificatio exponitur. Quam ego in numero definitionum habendā eſſe non exiſtimo, quemadmodum & alias pleraſq; explicationes, per qua res utcunq; innoteſcit. Explicatur nomen unum per alterum notius, uel in eadem lingua, uel in diuerſis, interpretatio hæc eſt nominis, non definitio. Etymologia uim uocis declarat, non rei naturam: ut, fides eſt, quia fiat quod dicitur: iuſtitia, quia ius ſtatuit. Hæc etiam à numero definitionum expūgenda eſt. Eſt & quædam explicandæ rei ratio per Metaphoram, ſiue Analogiam ab hoc genere aliena: ut pueritia eſt uer anni, mens in animo, quod oculus in corpore. Negatione quoq; res declaratur, & remotione eorum, quæ rei non inſunt: ut angelus eſt, quod neq; eſt Deus, neq; homo, ſed medius quidam ſpiritus. Sed nec hæc ricipienda eſt.

da est in numerum definitionum. Quas igitur sub se formas definitio complectatur, breuiter aperiamus. Diffinitionis genera Seuerinus Boëtius quindecim exposuit, scripto de his nominatim libro: nec mirum, possunt enim ex omnibus locis duci finitiones. sed id in præsentia à nobis postulandū nō est: sat fuerit generalia aliquot capita proposuisse, ad quæ omnes, quotquot sunt, commodè redigantur. Genera igitur diffinitionū prima, tria sunt: Potißimū est, quod eßētiale nominatur, quo breuiter ac propriè cōprehensa rei natura explicatur, per ea, quæ sunt illi intima. Vocantur autem intima ea, sine quibus res proposita neq; esse potest, neq; cogitari. Ita animal & rationis particeps intima sunt homini: nam his interemptis, homo pariter interimitur, & qui hominis naturam uolet animo cōcipere, simul & illa cogitet, necesse est. Album uerò, ambulare, aptum esse perdiscendis disciplinis, & alia id genus, aduentitia sunt & externa: nam absq; his aut existere homo potest, aut saltem intelligi. Erit igitur essentialis hominis finitio, animal rationis particeps, cùm hominis naturam declaret per ea, quæ sunt illi intima. Conflatur essentialis diffinitio ex genere & differentijs. Nam cùm inuenta sit ad rem diffinitā intra suos fines concludēdam, ita ut nec ad alienos egrediatur, nec alienum aliquid intra illos se insinuet, adhibetur genus, ut rem propositam separet ab his, quæ sunt alterius generis: differentia uerò ab his, quæ sub eodem genere collocantur. Quod in præfata hominis finitione cernitur: in qua animal ab his hominem distinguit, quæ anima carent, & à plantis solam uegetatricē habētibus: particeps uerò rationis, à brutis quibus cō-

mune

mune genus est cum homine. Hanc definitionis formam numeris comparat Aristote. in quibus unitas res indiuidua addita, aut ablata, numeri mutat speciem. Ita in essentiali finitione, si quis aut genus, aut differentiam auferat, tota subuertitur; sin aliquid prætereà adijciat, quantumuis proprium, deprauatur. Sic hominis finitio, animal rationis particeps, mortale, non probatur Arist. abundat enim pars illa mortale. Hoc genus definitionis non potest rebus omnibus accommodari. Primum in res singulas non cadit, quæ accidentarijs tantùm differentijs separantur, nec habeant substantiales illas, quales hæc diffinitionis forma postulat. Rerum autem uniuersarum cùm sint genera tria, non in omnibus locum habet. Genera summa, quia superius genus non habent, nec constituentes differentias, carent essentiali definitione. Interiecta genera, quâ genera sunt, non recipiunt hoc genus definitionis, sed quâ sunt formæ. Nam cùm definiuntur, cum superioribus conferuntur. Intermedia autem superioribus comparata, uim obtinent formarũ. Infimis formis maximè conuenit hoc genus definitionis. Ita fit uerum esse quod statuit Aristot. essentialem definitionem solius esse speciei. Nam tametsi ad intermedia genera pertineat, non tamen quâ genera sunt, sed quâ species.

## De accidentali finitione.

CAP. V.

Diffinitionis essentialis rarus est usus, nam inuentu difficilis existit, ignoratione differentiarum: certißima tamen ad exprimendam rei naturã, & expedita admodum uia. Hæc cùm nõ inuenitur, ad alterum genus

*conuertimur diffinitionis, accidentale scilicet, quæ descriptio appellatur, quòd rem ex his, quæ eius naturam non attingunt, cognoscendam perspiciendamq; proponat. Ea est oratio, quæ qualis res sit explicat, aut proprietate una, ut multorũ accidentium collectione. cùm proprietas cognita est, ea utimur in re explicanda, una enim adhibita, tota oratio propria fit: cuius generis sunt hæ: animal capax risus, hominis: corpus, quod summa celeritate sursum fertur, ignis. Cùm autem proprietas ignoratur, attributis aduentitijs utimur: quod genus diffinitionum Arist. Theophrastus, & alij permulti, cùm non possent animantium, arborum, plantarũ uim essentiali diffinitione explicare, adhibuerũt. Huius exẽplum sit in homine animal rectum, lato pectore, expansum in brachia, diductis manibus in digitos, quod ex omnibus animantibus solum sermone utitur.*

De tertio Diffinitionis genere,

CAPVT. VI.

TErtiũ diffiniendi genus sumitur ex loco causarũ, uarium & multiplex, quemadmodũ & ipsa causa, à qua ducitur. Causam uocamus, cuius ui & interuentu fit aliquid. Eius quatuor sunt genera, materia, forma, efficiens, finis. Materiæ multiplex est significatus. Materia in primis dicitur id omne ex quo fit aliquid, siue sit à natura profectum, siue ab arte. Ad hoc genus pertinent partes totius, quæ uice materiæ funguntur. In artibus appellatur materia id, de quo artes ipsæ disserunt, & in quod artifices suum explicant officium. Ita Dialectico materia argumentatio subiecta est, & res omnis. Virium, quoq; & facultatum materia est id, in

quod suas exercent actiones: ut uisus color, auditus sonus. Forma est, à qua res unaquæq; suam sortitur essentiam & appellationem: ut in homine, anima particeps rationis. Efficiens est, quæ aliquid operatur ac efficit: ut ignis calefaciendi, sol diei. Finis, cuius gratia sit aliquid, ut in domo propulsatio incommodorum, quæ proueniunt ab iniurijs cœli. Per hæc omnia causarum genera licet definire, & ab eo genere definitio nomen accipiet, quod continebit. Diffinitio per materiam dicitur, quæ materiam explicat, qualis est diffinitio iuris à Cicerone tradita, quod in legibus, Senatusconsultis, rebus iudicatis, iurisperitorum autoritate, ædictis magistratuum, more & æquitate consistit: & in uniuersum, quæ per partes cuiusq; rei traditur. Fit aliquando ex toto partis definitio. Materies est ex qua constant, quæ generantur, quæq; corrumpuntur omnia. Per materiam artes aptißimè definiuntur: Dialectica est ars, quæ conficiendæ argumantationis rationem docet. Virium, quoq; & facultatū finitio ex materia sumitur: Visus est facultas perspiciendi coloris. Ex forma sumitur, quæ formā complectitur: eius generis est, hominis finitio, animal ex anima constans, quæ utitur ratione. Efficiēs erit, quæ effectricem causam continebit: ut si definiamus diem, lucem per hemisphærium nostrum à sole diffusam. In numerum causarum agentium ueniunt instrumenta: oleum est liquor ex oliua trapetibus expressus. Postremò ex fine sumitur, quæ finem, cuius gratia res est, complectitur, cuiusmodi est hæc iuris finitio, æquitas constituta his, qui sunt eiusdem ciuitatis ad res suas obtinendas. Definitiones ab effectis ad hoc genus referri

Forma.

Efficiens.

Finis.

*possunt, cùm præsertim ex causis nascantur effecta; cuiusmodi hæ sunt. Ira est, quæ alijs, aut sibimetipsi cogit manus afferre; uipera est, quæ sola ex serpentibus uiuū parit.*

*De legibus definitionis, siue benè diffiniendi præceptis,*

CAPVT. VII.

*ARistoteles. 6. Topicorum cùm summum & exactißimum definitionis genus sibi explicādum proposuisset, multa in definitione seruanda esse præcepit, quæ in alijs definitionum formis, de quibus hoc loco à nobis disputatur, non possunt inesse: Cuius generis est, definitionem ex genere & differentijs constare debere. Quod ad essentiale genus tantùm pertinet. Nam in cæteris ueræ differentiæ non sumuntur, genus uerò aliquādo accipitur, interdum quod uim generis obtineat. Nos igitur cùm omnem definiendi rationem persequamur, generalia trademus definiēdi præcepta, quæ obseruari in omnibus sit necesse. Prima definitionis lex est, ut rem propositam explicet aptè atq; declaret. Contingit autem multis modis rem propositam nō aptè explicari. In primis si id quod definitur in definitione collocetur: quemadmodū enim nulli rei dubiæ potest ex seipsa fides constare, ita nil est quod suypsius poßit esse explicatio. Id licet in relatis, quorum natura aliter nō potest declarari. Contingit etiam rem nō aptè explicari cùm obscurum aliquid in definitione collocatur. Nascitur autem obscuritas ex uerbis aut ambiguis, aut translatis, aut ualde improprijs, aut inusitatis. Ambiguū est, quod multa significat, ut si definiatur ortus, motus ad naturā ferens.*

*Prima lex finitionis.*

*rens,homonymum enim nomen est motus. Translatum uerbumest, quod rem significat per similitudinem quādam. Quod in definitione collocatum, obscuritatē ideo parit, quia dubium est, nū secundum propriam significationem accipiendum sit, an secundū translatā, ut si quis temperātiam concentum definiat. Impropria uerba intelliguntur, in quibus ne tranflatio quidem inest, ut si quis legem definiat, imaginem eorū, quæ iusta sunt. Inusitata quæ sint, nomē ipsum indicat. Hæc cùm nō sint in usu, non possunt non esse obscura, ut si definiatur oculus, cilij umbra; aut aranea, putri mordax. Obscuram quoq; iudicat Aristote. eam, ex qua contrarij definitio non intelligitur, aut qua per se prolata, cuius sit definitio, non est perspicuum; id enim prorsus contingit, atq; si rudis aliquis pictor hominem ita imperitè depingat, ut sine inscriptione dignosci non poßit. Postremus modus, quo rem non aptè explicari contingit, est, quando eadem uox sæpe repetitur, quam nugationem appellāt. In quod uitium tum maximè incurritur, cùm remoto generi differentiæ multæ adhibentur, non seruato ordine naturæ, qui postulat, ut generales differentiæ priori semper loco collocentur. Quòd si is inuertatur, uitiosa est definitio, ut si definiatur animal substantia corporea, sentiens, uitæ particeps. Altera definitionis lex est, ut nec sit maior diffinitio re diffinita, nec minor, sed cum ea uicißim commeet. In hanc legem peccat, qui hominem diffinit, Substantiam corpoream, sentientem, nam tametsi hæc omnia homo sit, si tamen conuertas, non respondebit. Itaq; latius patet diffinitio re diffinita. Rursus & qui cupiditatem dicit esse desyde-*

Conuertibilis

*rium aliena appetendi: hæc enim oratio soli cōpetit auaritiæ, cùm non sola auaritia sit cupiditas. Est enim cupiditas dominandi, & ulciscendi: ita contractior est re, quæ definitur. Tertia lex est, ut nil contineat diffinitio superuacuum, aut redundans. Vocatur autem superuacuum, quod potest abscindi citra totius iacturam: ut in diffinitione hominis, animal particeps rationis, mortale, superat pars illa mortale: nam ea sublata, quod relinquitur hominis naturam perfectè declarat.*

## *Quæ sit inuestigandæ diffinitionis methodus.*

CAP. VIII.

*Methodum inuestigandæ diffinitionis secundo libro posterioris Analyseos tradidit Arist. quā ex eo loco mutuatus Cicero explicuit in Topicis. Ea est huiusmodi: rem quamuis diffinire uolenti, inueniendum est in primis commune aliquod, aut genus, aut si id ignoretur, quod rei quadret: mox illud arctandum est adiūctione inferiorum quousq; tota oratio propria fiat rei, quæ explicatur. Exemplum est apud Arist. in diffinitione ternarij, cuius naturā qui explicare uolet, curabit in primis ternarij genus inuenire, hoc autem est numerus. Sed tametsi ternarius omnis sit numerus, non tamen omnis numerus est ternarius: nam quaternarius, senarius numeri sunt, & à ternario specie distinguuntur. Adijciendum est ergo aliquid, quo numeros huiusmodi excludamus, id fiet, si numero differentiam addamus, quæ diuisione cōmodè inuestigatur ad hunc modum: Numerus omnis aut par est, aut impar: Cùm sit igitur ternarius numerus, aut par erit, aut impar: cōstat autē non esse parē, neq; enim potest in duos æquales numeros diuidi, erit igitur nume-*

*rus impar. Nondũ suis partibus absoluta est diffinitio, nã id quod collectum est, alijs multis cõuenit à ternario, ut quinario, septenario. Addere igitur aliquid præterea oportebit, quò rẽ diffinitam ab ijs separemus: id præstabimus eadẽ methodo diuisionis, hoc pacto: Numerus impar alius est primus, alius secũdus: ternarius uerò impar numerus est, & non secundus, cùm non mensuretur aliquo numero, Quare numerus erit impar primus, Hæc sanè ternario conueniunt, sed non soli: nã septenarius, quinarius numeri sunt impares & primi, quare arctãda magis oratio est, ut rei fiat propria. Numerum imparẽ primum diuidamus, est enim alius primus altero modo, alius primus utroq; modo: at ternarius non est primus altero modo, ut constat, erit igitur numerus impar, primus utroq; modo. Hæc perfecta est ternarij finitio, cuius partes singulæ alijs insunt à ternario, tota autẽ oratio propria ternario est, & cum ipso uicißim commeat.*

*De Diuisione altero differendi instrumento.*

CAP. IX.

*Alterum differendi instrumentum est Diuisio: quæ cùm à partitione & enumeratione maximoperè differat, explicanda in primis erunt nobis discrimina: ut ex his, quid ipsa sit tãdẽ aptè colligamus. Id cũ modè fiet, si quot modis dicatur totũ intelligamus. Totum bifariã dicitur, integrũ, & uniuersum. Totum integrũ est, quod ex multis partibus constat, ut domus: uniuersum, quod de multis effertur, ut animal. Hæ duæ formæ totius his potißimùm differentijs separantur: totũ integrũ uerè de singulis partibus enũtiari nõ potest, nec collocatur in earũ diffinitionibus, quin potius ipsum, quid sit explicatur per*

partes:

partes: ut domus de partibus singulis non effertur: Non enim fundamentũ est domus, aut tectum. Et si quid horũ diffiniendum sit, domũ non recipiet diffinitio. Qui autẽ uelit domus naturam explicare, id commodè faciet, partium enumeratione. At totum uniuersum uerè singulis partibus tribuitur, & in his diffiniendis primum sibi locum uendicat: ut animal de homine dicitur, de equo, ac singulis formis, quæ sine ipso nec diffiniri possunt, nec cogitari. Partitio igitur à diuisione ita distinguitur, quòd illa sit totius integri sectio in suas partes, hæc totius uniuersi distributio. Ab utraq; diuersa est enumeratio, nõ enim rei, sed nominis in significata distinctio est, qua in antepredicamentis utitur Arist. cùm id quod est in decẽ

Diuisio. suprema genera partitur. Sit igitur diuisio cõmunioris, cuiusdam in ea, quæ minùs communia sunt, distributio, ut bonum aut utile est, aut honestum, aut delectabile. Sunt in diuisione, quod diuiditur, & partes diuidentes: quas singulas seorsum sumptas, minores esse oportet re diuisa: coniunctas uerò, pares illi, & æquales.

## De legibus diuisionis.

### CAP. X.

Prima lex. VT rectè fiat diuisio, leges aliquot obseruãdæ proponuntur. Prima est, ut partes diuidentes totum diuisum exhauriant, hoc est, quod paulò anteà diximus, simul sumptæ cum ipso commeent. Ita nõ est proba Diuisio: Animaliũ, aliud bipes, aliud quadrupes: sunt enim

Secunda lex. apoda complura. Secũda lex est, ut partes diuidentes inter se aliquo modo repugnent, hoc est, non conueniant eidem rei, aut certè rationibus diuersis. Cicero in rebus

diuidendis cauendum esse annotauit, ne partē in genere ponamus, scilicet ne in partibus rei numeremus, quod sub aliqua partium, tanquam sub genere contineatur. Quo errore peccat hæc diuisio: animalium, aliud particeps rationis, aliud bos, aliud expers rationis. Oportuisset enim ita diuidere: Animalium aliud particeps rationis, aliud expers: id rursus, quod rationis est expers, aliud bos, aliud Leo.

## De formis diuidendi.

### CAP. XI.

Diuisionum formæ multæ sunt, totidem fermè, quot diffinitionum: fusa est enim utraq; per omnes locos, sed nos hic genera prima attingemus, ad quæ diuisiones omnes redigantur. Primum genus essentiale uocatur, quod fiat in ea, quæ rei substantiam & essentiā quodammodo attingunt. Ad hoc genus pertinent diuisiones generis in formas, & per differētias, cuiusmodi sunt: Virtus, alia est iustitia, alia temperantia, alia fortitudo: Animal, aliud particeps est rationis, aliud expers. Alterum genus est accidētale, quod in tres partes diducitur: aut enim subiectum diuiditur in affectiones, ut hominum alij boni sunt, alij praui: aut contrà affectio in res subiectas, ut uirtutes, aliæ in ratione sitæ sunt, aliæ in appetitu: aut diuiditur affectio in alias affectiones, ut actio alia praua est, alia studiosa. In essentiali diuisione necessaria est connexio inter rem diuisam, & partes diuidentes: in ea uerò, quæ est secundum accidens, accidentaria tantùm, & quæ solui poßit.

Prima diuisionis forma.

Secunda forma.

De argu-

tur,non solùm ad rem. Neq; enim minus erit argumētatio,etiam si uerè non consequatur. In connexis, & causalibus,quod proximum est coniunctioni, antecedēs est, reliquum consequens. In rationali, quod coniunctionem antecedit,id ipsum est antecedens,quod sequitur, consequens. Coniunctiones argumentationi conficiendæ aptæ sunt, quæ alterum ex altero consequi declarant: ut quas uulgò conditionales, causales, & rationales appellant: si,quia,igitur,& his similes. Ex coniunctiua & disiunctiua conflatur copulata enunciatio, sed quæ argumentatio dici non posit.

## De argumentationis differentijs.

## CAP. XIII.

IN argumentatione aut considerantur partes,ex quibus componitur,aut ipsa partium cōnexio. Ratione partium, uera aut falsa dicitur, est enim ennuciatio. Si autem habitudo spectetur, in bonam & malam distribuitur. Recta argumentatio est,in qua si uerum sit antecedens,necesse est consequens esse uerum:ut,domus est,ergo fundamentum est. Bonæ argumentationis ratio ex habitudine & connexione partium omnino pendet. Nō in eo est posita, quòd ueræ sint partes. Contingit enim utrisq; existentibus ueris,uitiosam esse argumentationē: ut,cœlum uoluitur,pisces igitur respirant. Fit quoq; ut ex falsis pronunciatis recta coalescat argumentatio:ut, homo est equus, igitur homo est expers rationis. Hinc perspicuum est, quæ sit uitiosa argumentatio. Nimirum ea futura est, in qua si antecedens sit uerum, non est necesse consequens esse uerum:ut,dies est,ergo aurora resplendet. Porrò cùm rectitudo argumentationis po-

*Recta argumentatio.*

*Vitiosa argumentatio.*

nis posita sit in connexione partium, hæc autem aliquã do pendeat ex significatione uocum, aliquando ex pronunciatorum structura, recta argumentatio rursum duplex erit, altera necessaria (formalem uulgò appellant) altera non necessaria, quæ uocatur materialis. Necessaria est, quæ non solùm in se priuatim est recta, sed sumptis quibuscunq; uocibus, modò seruetur eadem structura & colligendi ratio. Seruantur ista quando idem sumitur numerus uocum & pronunciatorum, retineturq; in pronunciatis ipsis eadem qualitas & quantitas. Ita omnis ratiocinatio necessaria est argumẽtatio: ut, omne animal sentit, omnis homo est animal, igitur omnis homo sentit. Non necessaria uocatur, quæ tametsi in se priuatim sit recta, non tamen sumptis alijs uocibus, & seruata eadem structura: ut omnis homo est capax disciplinæ, quicquid est particeps rationis, est capax disciplinæ, igitur quicquid est particeps rationis est homo. Hæc quia sumuntur pares uoces, recta est: si uerò aliæ sumantur, homo, animal, bos, & in eandem colligendi formam redigãtur hoc pacto: Omnis homo est animal, omnis bos est animal, igitur omnis bos est homo, uitiosa conflabitur argumentatio.

*Necessaria argumentatio.*

*Non necessaria.*

De regulis quas dirigitur recta argumentatio.

CAPVT. XIIII.

CEnsere quæ sit recta argumentatio, & quæ non sit, non est certæ alicuius artis, sed uniuscuiusq; in sua materia. Dialectica generales quasdam tradit regulas, quibus in omni re, sit recta argumẽtatio, nec ne, licet explorare. Prima regula: In recta argumentatione quicquid repugnat toti cõsequẽti, necesse est repugnet antecedenti

*Prima regula*

*cedenti. Adiecimus toti consequenti. Fit enim sæpe ut in argumentatione recta aliquid parti consequentis repugnet, quod cum antecedente, aut eius parte conuenit. Nam cum sit recta argumentatio, quaternarius est, igitur binarius est, binario parti consequentis repugnat ex quatuor constare unitatibus, quod tamen consentaneum est antecedenti. Secunda regula:* In argumentatione re*cta quemadmodum ex antecedente sequitur consequens, ita necesse est ex contradicente consequentis id colligi, quod antecedenti contradicit: ut in argumentatione, homo est, igitur animal est, rectè sequitur, non est animal, igitur non est homo.* Ex contradicente autem diximus, *quia in alio genere contrariorum uera regula non est, ut in subcontrarijs pronunciatis, aut aduersis.* Nam cum *sit recta argumentatio, nullum animal est homo, igitur nullus homo est animal, ex aduersa consequentis, omnis homo est animal, aduersa antecedentis, omne animal est homo, non rectè colligitur. Tertia regula:* In recta argu*mentatione, quicquid ex solo totoq; consequenti colligitur, id ipsum necesse est colligatur ex antecedēti.* Ex hac *regula, non esse recta hæc argumentatio demonstrabitur, animal est, ergo respirat.* Ex *consequēti enim sequitur, pulmonem habere, quod non colligitur ex antecedenti.* Adiecimus *ex toto ac solo consequenti; nam quod ex parte consequentis sequitur, aut ui alicuius partis consequenti adiectæ, non necesse est, colligatur ex antecedenti.* Atq; *hæc diligēter animaduersa ad soluendas captiosas argumentationes permultas conferent, quæ alioqui regula niti uidentur.* Cuius generis est hæc, animal est, *igitur aut particeps rationis est, aut expers.* Particeps

*rationis est, aut expers: atqui non est expers, igitur est particeps. Ergo si animal est, sequetur esse particeps rationis. In qua particeps rationis non ex solo consequente primæ argumentationis colligitur, sed ex illa adiecta parte, non est expers rationis.*

## *Quid argumentatione recta ex unoquoq; pronuntiati genere consequatur.*

CAP. XV.

*Cum sint multæ enuntiationum differentiæ, aliæ ueræ, aliæ falsæ; atq; hæ non uno modo dicantur, nam ueræ, aliæ falsæ esse non possunt, quæ uocantur necessariæ, falsæ itidem aliæ sunt semper sibi similes, quas impoßibiles appellant: aliæ utrunque recipiunt suntq; aliquando ueræ, aliquando falsæ, & dicuntur contingentes, quid in recta argumentatione ex unoquoq; genere colligatur, aliquot præceptis explicandum est.*

*Ex vero quid sequatur.* Primùm ex uero antecenti, uerum dumtaxat sequitur *consequens: nam si falsum colligeretur, uitiosa esset* Ar*gumentatio.* Hinc *uia ducitur, & methodus qua utimur in confirmandis pronuntiatis.* Quod *demonstrãdum est, ex aliquo manifestè uero colligimus, & ita ratiocinamur.* Argumentatio *recta est, & uerum est antecedens, uerum igitur erit & consequens.* Vt *si probandum sit, sapientem esse diuitem, excogitabitur aliquid manifestè uerum, ex quo id sequatur, quale fuerit: sapientem nullis opibus egere, ex quo propositum aptè colligitur, & quia uerum est quod antecedit, uerum esse quod sequitur, ex neceßitate concludimus.* Secundum *præceptum, ex falso antecedenti, consequens falsum aliquãdo colli-*

gitur

gitur, aliquando uerum. Falsum, ut homo est equus, igitur est expers rationis: uerum, ut si homo est equus, homo est animal. Tertium præceptum, falsum consequens, in argumẽtatione recta, nõ potest ex alio sequi, quàm ex falso antecedenti. Hac regula niittur ratio, qua pronunciata euertuntur. Ex eo quod probandum est esse falsum, colligimus aliquid manifestè falsum, & ratiocinamur in hunc modum: Argumentatio recta est, & falsum est consequens: necesse est igitur falsum esse quod antecedit. Ita falsam esse Epicuri de felicitate sententiam, licet ostendere, ipsam in uoluptate collocantis: Si enim felicitas in uoluptate consistit, bruta felicitate ac summo bono fruentur: quod cùm sit à ratione longè alienũ, relinquitur & illud prius falsum esse, uoluptatem esse summum bonũ. Quartũ dogma. Necessariũ tãtùm infert quod est sui generis, hoc est, necessarium. Quicquid enim habet boni antecedens, intentioni cõmunicat, quemadmodũ quicquid habet incõmodi cõsequens, refundit in antecedẽs. Quintum dogma, ex contingenti sequitur & contingens & necessarium: contingens hoc modo, homo ambulat, igitur mouetur: necessarium, ut si ita dicamus, homo ambulat, igitur est animal. Sextum dogma, ex impossibili antecedenti omne genus enũciati colligitur: impossibile, ut homo est equus, igitur est expers rationis. Necessarium, ut homo est equus, igitur est animal. Contingens, ut homo non est animal, igitur homo non ambulat. Vnum hîc est de quo quæri posit ac dubitari. Cùm recta argumentatio ex habitudine pendeat antecedentis & consequentis, uerum autem & falsum contraria sint, & contraria maximè differant, ac nullo modo con-

*Quid ex falso* *Falsum ex quo sequatur.* *Necessariũ quid.* *Cõtingẽs quid.* *Impossibile quid.*

*sentiant, qui fiat, ut in argumentatione recta ex falso uerum colligatur? Ad quæstionem ita responderi potest: Ex falso, quâ falsum est, uerum non colligitur, sed quatenus ueri aliquid continet, imò uero hoc ipsum, quod concluditur. Id in hac argumẽtatione perspici potest, homo est equus, igitur homo est animal. In qua pronunciatum illud, homo est animal, latet in antecedẽti inclusum. Qui enim dicit hominẽ esse equũ, significat hominem esse animal, & prætereà inniens. Sequi autem ex falso uerũ, eo modo quo diximus, quatenus ueri aliquid complectitur, uel hæc sola ratio fidem facit, quòd ex antecedente falso, si in eo nil ueri contineatur, uerum consequens non efficitur: quòd si sequatur uerũm, id tantum, quòd in ipso comprehensum est.*

De Formis argumentationis.

CAPVT. XVI.

QVatuor sunt argumentationum formæ, Ratiocinatio, Inductio, Enthymema, Exemplum. Præstãtißima omnium est ratiocinatio, & ad probandum efficacißima, quã Arist. definit, Orationem, in qua sumptis quibusdã, aliud ex his quæ sumpta sũt, ex necesßitate sequitur etiãsi nihil extrinsecus abhibeatur: ut, omnis uirtus est habitus, iustitia est uirtus, igitur iustitia est habitus. Qua parte ratiocinatio ex multis constare dicitur, distinguitur ab Enthymemate, in quo una tantum sumitur pronunciatio. Quod uerò sequitur in definitione, aliud ex necesßitate sequitur, argumentationes, quæ nihil colligunt excludit, & eas prætereà, quæ quamuis in se priuatim sint rectæ, nõ sunt tamẽ necessariæ. Cuiusmodi est hæc: Quicquid est rationis particeps, est disciplinæ

*Quid ratiocinatio*

næ capax, omnis homo est disciplinæ capax, igitur omnis homo est rationis particeps. Quæ uim habet ex sola uocũ significatione, non ex compositione pronunciatorum. Vltima pars, etiam si nihil extrinsecus adhibeatur, significat in ratiocinatione conclusionem sequi ex sola partium connexione. Excluduntur quoq; argumentationes quædam necessariæ, in quibus sequitur cõclusio, non solùm ex his, quæ sumpta sunt, sed ex alio, quod subintelligitur, enunciato: cuius generis est hæc, senarius est maior quaternario, quaternarius est maior binario: ergo senarius est maior binario. Hæc enim conclusio sequitur ui huius principij, quicquid est maiore maius, est maius minore. Partes ex quibus proximè ratiocinatio conficitur, tres sunt, Propositio, Assumptio, & Conclusio. Illa primum locum obtinet, Assumptio secundum, quæ ex his sequitur & quodammodo nascitur, Conclusio uocatur. Minores partes tres quoq; insunt (quibus si plures adhibeantur, non constabit ratiocinatio): Medium uerbum, extremum primum, & extremũ ultimum. Medium uerbum est, quod bis sumitur ante cõclusionẽ: primum extremũ, quod in propopositione cũ medio connectitur: ultimũ, quod sumitur in Assumptione cum medio, ut in proposita ratiocinatione: Omnis uirtus est habitus, iustitia est uirtus, igitur iustitia est habitus. Medium uerbum est uirtus, habitus primum extremum, iustitia ultimum.

Partes proximæ ratiocin.

Minores partes.

## De tribus dispositionum formis.

CAPVT. XVII.

GEnera ratiocinationum diuersa & uariæ dispositionum formæ nascuntur ex diuersa medij collocatione: quæ cùm sit triplex, triplicem quoq; peperit dispositionis formam. Prima est, quando medium uerbum in propositione subijcitur, & in assumptione est attributũ: ut omne animal sentit, omnis homo est animal, igitur omnis homo sentit. Secunda, quando medium uerbum in utroq; pronuntiato est attributum: ut nullum album est nigrum, omnis coruus est niger, igitur nullus coruus est albus. Tertia, in qua medium uerbũ subijcitur in utraq; enuntiatione: ut omnis uirtus est expetẽda, omnis uirtus est habitus, ergo quidã habitus est expetẽdus. Vnũquodq; genus uarios sub se cõtinet ratiocinationũ modos, qui ex pronuntiatorum dissimilitudine oriuntur, de quibus libro sexto copiosè disseremus. Illud prætermittẽdum non est, communia uitia, quæ ratiocinationem impediunt in quouis genere, duo esse: Alterum si utrunq; pronuntiatum sit negans: Alterum si sit utrunq; in parte. Itaq; ex his sumptionibus, nullus lapis est animal, nullus equus est lapis: & rursus ex his alijs, quoddã animal est homo, quidam equus est animal, nil omnino potest cõcludi.

## De reliquis formis, enthymemate, inductione, & exemplo.

### CAP. XVIII.

RAtiocinationi proximè succedit inductio, quæ à sensibus incipit, & in mentẽ desinit. Est enim progressio à rebus singulis ad res uniuersas. Vt si ita colligamus: Iustitia uirtus est expetenda, fortitudo itidem, tẽ-

perantia & prudentia, omnis igitur uirtus est expetenda. Enthymema hic appellatur imperfecta argumentatio, in qua ex altero tantum pronunciato festinata conclusio infertur, ut si peperit, cum uiro concubuit. Exemplum diffinitur oratio, in qua singulare unum per alterum probatur, propter similitudinem, quæ in utroq; cōspicitur. Cuiusmodi est illud apud Ciceronem. P. Scipio Tyberium Gracchum mediocriter labefactantem statū Reipub. interemit, nos Catilinam orbem terrarum cæde & incendijs uastantem Consules perferemus? Hæ omnes imperfectæ sunt argumentationes, uim ex ratiocinatione accipiunt, & ad eam reuocātur: quod quo pacto fiat, libro sexto docebitur.

## De munere interrogantis,

### CAP. XIX.

Dialecticæ pars illa, quæ conficiendæ probabilis argumentationis uiam docet, in interrogatione & responsione posita est, ita Dialecticum necesse est, interrogare & respondere: quæ qua ratione præstare debeat, Arist. docuit. 8. Topico. Ex quo loco pauca decerpemus, quatenus postulat Epitomes ratio, & tyronibus conuenit, quibus ista scribuntur. Interroganti duo præstanda sunt, quemadmodum duobus modis soluitur argumentatio: aut enim negatur unum ex altero sequi, aut negatur uerum esse quod proponitur. Argumentatio recta esse demonstrabitur, si ex aliquo loco Dialectico probetur esse desumpta. potest quoq; idem ostendi ex regulis, ad quas dirigitur recta argumentatio, de quibus anteà diximus. Rei autem probandæ duplex est ratio & uia, altera recta, altera obliqua & ad incōmodum ducens. Prio- *Quæ interrogāti præstāda.*

*ri utetur, qui planetas esse propè nos hac ratione conclu serit: Quod non scintillat, est propè nos, planetæ nō scintillant, ergo planetæ sunt propè nos. Posterioris exemplum erit, si quis probaturus, pisces sub aquis non respirare, ita colligat: Pisces sub aquis respirant, ergo pulmonem habent, at id falsum est, ergo falsum est quod antecedit. Quare uerum erit, pisces sub aquis non respirare; nam cōtradicentia uera, aut falsa simul esse nō possunt.*

De *munere & officio respondentis.*

CAP. XX.

IN *disputatione argumentatio, quæ ab interrogante proponitur, curandum est respōdenti ut intelligatur exactè: nec respondendum est, nisi ea omni ex parte percepta. Præceps enim ac impræmeditata responsio carere uitio non potest. Ac primùm quidem spectanda est consecutionis ratio: hæc enim nisi recta sit, uanum est ac superuacaneum de ueritate partium esse solicitum. Vitiosa enim argumentatione, etiamsi ueræ sint partes, nihil prorsus efficitur. Vbi constiterit argumentationem esse rectam, ad partes singulas descendendum est, in quibus si quid collocetur obscurum, postulandum est ut explicetur. Quòd si aperta sint omnia, cōsiderare diligēter oportebit, Pronuntiata ipsa simplicia sint, an ambigua. In simplicibus uerum concedi debet, negari quod falsum. In ambiguis distinctione opus est, ac diligenter uerus sensus separandus à falso. Hæc in ea potißimùm disputatione seruient, quam aduersarius sine interrogatione ulla aggreditur. Cùm autem alia utetur disputandi uia, ut aliqua in primis postulet, & interrogationibus quibusdā uelit quid sentiat à respōdente elicere, alijs præceptis in-*

*structum*

*ſtructum eſſe oportet eum, qui reſpondet. De quibus. 8. Topico fuſißimè diſſeruit Ariſt.*

*Finis libri ſecundi.*

# DE COMPOSITIONE ARTIS DIALECTICAE LIBER TERTIVS.

## *De inſtituto præſentis libri, & cui deſeruiat,* CAPVT I.



VAE *præcedẽtibus libris ſcripta ſunt, ad uniuerſam artẽ diſſerendi pertinẽt. Ij ea continẽt, quorũ cognitio utilis admodum eſt, & ad docendam Dialecticam, & eorum intelligentiam, quibus ſæpe nobis erit utendum. Liber autem hic tertius, quem aggredimur, Iſagoge eſt ad Categorias Ariſt. Cùm enim ex generibus & formis ordines Categoriarum conſtentur, nouiſſe ſanè oportebit quid iſta ſint. Generum autẽ diuiſio fit per differentias, & hæ ipſæ generibus adhibitæ naturam formarum conſtituunt: habent quoq; formæ ſingulæ proprias quaſdam affectiones ex intimis earum principijs quodammodo profectas, erit igitur & iſtorũ neceſſaria cognitio. Iam cùm ſit unum tantũ ſubſtantiæ genus, reliqua nouem ex accidentibus conſtant: quare accidentis naturam cognitam habere conueniet, atq; perſpectam. Suſcipietur ergo hoc libro diſputatio de quinq; communibus uocibus, quas uulgò Prædicabiles*

 *appel-*

appellant, Genere, Specie, Differĕtia, Proprietate, Accidente: quam Porphyrius ex Topicis Aristotelis sumptā, singularum uocum naturam, proprietates etiam, & cōmuniones earundem diligenter persequutus, mirum in modū auxit, & illustrauit. Nos ex utroq; optima quæq; decerpentes, quæ ad præsentem disputationem maximè facere uidebūtur ita pertractabimus, ut plena atq; perfecta harum uocum disciplina, quatenus operis huius & instituti nostri ratio postulat, tradita esse uideatur.

Quare Genus, Species, Differentia. &c. uoces dicantur, cùm rebus ipsis nomina ista conueniant.

CAP. II.

PRimùm omnium errori occurrendum est, in quem, ex eorum, quæ dicemus, ignoratione, huius artis tyrones possent facilè incurrere. Cùm enim Genus, species, Differentia. &c. uoces ab omnibus appellari consueuerint, persuadere sibi aliquis posset, ita uocum ista esse propria, ut ad res ipsas nullo modo pertineant. Cui sententiæ illa, quæ de Dialectica recepta est, communis opinio fauere uidetur, quòd sit una de numero illarum, quæ circa curā sermonis ac considerationem uersantur, quas uulgò appellant sermocinatrices. sed rem longè aliter profectò ac sese habet acciperet, qui ita existimaret. Nomina hæc Generis, Differentiæ, Speciei, &c. rebus ipsis primo loco conueniunt, & ex his ad uoces secundo loco traducuntur: ut cùm animal Genus uocatur, aut homo Forma, ad ipsas naturas referendā ista sunt primū hominis & animalis in rebus singulis hærĕtes, deinde quodammo

*Primū argumentū.*

*Secundū argumentum.*

*Genus, species, &c rebus competūt primo loco*

dammodo ad uoces. Cui rei uel hæc sola ratio abunde fidẽ facit: uoces Genera dicuntur, non quâ uoces sunt, sed quâ rerũ sunt notæ. Alioqui quæ nihil omnino significãt, ac præmonstrant, has sibi Generum ac Formarũ appellationes uendicarent, quod falsum esse omnes affirmant. Si igitur propter res, quia scilicet ipsarum sunt signa, uocibus conuenit, ut genera dicantur, aut formæ, priùs ac potius rebus ista accommodentur necesse est, ui Aristotelei principij, quando attributum aliquod duobus cõuenit, & uni propter alterum, magis ac uerius illi cõuenit, cuius gratia alteri tribuitur. Quod autẽ ista uoces dicantur, sitq; hæc disputatio inscripta de quinq; communibus uocibus, & quod Dialectica ars uocetur de sermone disserẽs, his causis factum existimauerim: primùm quia in uocibus ea, de quibus Dialectica disputat, faciliùs intelliguntur. Citius enim ac cõmodius quiuis percipiat uocẽ hanc animal esse genus, aut attributũ, aut cõmune quidpiam, quàm rem, quæ uoce designatur, uel rei notionem. Nam quod uox una & eadem communis sit, & de multis dicatur, nemo est tam hebes, qui non assequatur. Quod autem sit res aliqua communis multis ac uniuersa, & quo pacto id fiat, maiori eget opera, & ut explicetur, & intelligatur. Idem quoq; de reliquis ad Dialecticam spectantibus existimandum est. Deinde Dialectica ars est (quemadmodum Aristote. testatur) interrogandi & respondendi: posita itaq; est in mutuis disputationibus: res autem ipsas ad disputationem ducere non possumus (ut ipsemet autor est in reprehensionibus Sophistarum) sed necessariò utendum nobis est uocibus. Vnde factum uideri potest, ut circa curam sermonis &

orationis uersari Dialectica existimetur: & nomina ista Generis, Speciei, Differentiæ uocibus tribuãtur, cùm ad res ipsas maximè pertineant. Sed si non de sermone solo Dialectica differit, sed ulterius ad res ipsas progreditur, & rebus accommodantur, quæ docet, quid igitur à cæteris artibus distabit, quæ in rerum etiam consideratione uersantur? Plurimum sanè interest. Nam cæteræ res spectant, quà res quædam sunt, & cum mentis functione nil habent commune: ut Arithmeticus numerum contemplatur, quatenus est numerus, ac nulli subiacet mentis actioni. Dialecticus uerò in rebus ipsis ea tantùm exquirit, quæ pendent ex animi notionibus: cuiusmodi sunt subiectum, attributum, genus, species, & reliqua omnia, quæ considerationi Dialecticorum subijciuntur.

*Obiectio.* *Solutio.*

De Diuisione uocis in simplicem & compositam, Synonymam & Homonymam, communem & singularem. CAPVT. III.

Voces, de quibus agere paramus, Simplices sunt, Synonymæ, & communes. Quibus ista nõ cõueniũt omnia, in numerũ harum quinq; recipi nullo modo possunt. Quare ista breuiter sunt explicanda. Voces aliæ Simplices sunt, aliæ Compositæ. Simplex uox est, quæ ex multis dictionibus nõ cõflatur: ut homo, albũ. Cõposita, quæ multas continet simplices, aut uinculo aliquo connexas, aut per se aptè cohærẽtes: ut Iupiter & Mercurius, Aristoteles Philosophus. Vtraq; duobus modis dicitur. Simplex, quædam uoce tenus simplex est, cui res subest composita, ut uiuo, ambulo, quæ sensum reddunt singulæ integri pronuntiati, ego uiuo, ego ambulo. Aliæ utroq; modo sunt simplices, quæ scilicet secundum simplicem

*Duplex modus simplicis uocis & compositæ.*

sonum

*sonum proferuntur, & rem simplicem notant, ut homo, animal. Eædem sunt & compositæ uocis differentiæ. In quibusdam in sola uoce cernitur cõpositio, quia ex multis dictionibus componuntur, sed res, quæ significatur, una est & simplex: cuius generis est diffinitio omnis sub stãtialis: ut hominis, animal rationis particeps. In alijs & uocum est compositio, & res multæ subsunt uocibus ipsis: ut homo prudens, & ille omnes, quæ ex uocibus ad diuersas Categorias pertinentibus coalescunt. Vox simplex (hæc enim sola nobis curæ esse debet) aut synonyma est, aut homonyma. Synonyma dicitur, quæ de quibus dicitur effertur ratione una: ut animal ad formas omnes, quas sub se complectitur, hominem: equum, leonẽ, ijs enim omnibus eadẽ prorsus ratione tribuitur. Nam si quis quid unaquæq; harum formarũ sit quâ est animal percontetur, hæc sola ratio respondebitur, substãtia corporea, uitæ, & sensus particeps. Homonyma uox multa notat, sed rationibus multis, ut uox eadẽ animal, ad uiuũ, & quod pingitur: cuius in utroq; diuersa ratio est. Viuẽti enim quâ animal est, ratio illa accõmodatur, ei uerò, quod pingitur, hæc longè diuersa, ueri animalis similitudo. Continet uox homonyma sub se formas multas, quibus explicandis aptißimus in antepredicamẽtis sese nobis locus offeret. Distribuitur etiam uox in communem & singularem. Communis est, quæ suapte natura de multis effertur synonymè: ut homo, animal. Voces hæ sol, mundus, luna, cùm sint species, in numerum cõmunium uocum recipiantur necesse est. Quæ tametsi de re una tãtùm singulari ita dicãtur, ut in multis non poßint reperiri: nam nec plures esse mundos, nec esse posse, in libris*

Vocis simplicis diuisio.

Diuisio 3. uocis

bris de cœlo multis rationibus Aristoteles demõstrauit, tamen si naturam uocum spectemus, & primam illarum positionem, illis plane non aduersatur in multis dici: si enim multa subessent singularia, ratiõe una de omnibus uere dicerentur. Singularis uox est, quæ de uno tantùm Synonymè effertur: ut Petrus, Aristoteles, Roma. Nomina rerum particularũ propria, singularia sunt propriè ac definitè. Rursus cùm uoci cõmuni demonstrandi pronomẽ adhibetur, uox singularis efficitur: ut hæc herba, hic liber. Postremum genus singularis uocis, est, ex hypothesi, cùm nomen alioqui commune, constituta hypothesi ad rem unam certam arctatur: ut Caroli filius, si Philippũ regẽ solum genuisse Carolum statuamus. Adijciũt nonnulli, quod uagum appellant, cuius generis est, quidâ homo. Id uerò mihi nõ probatur. Nam quidam specialis nota est, quæ adhibita uoci cõmuni, eã ad rem singularem non constringit. Quòd si quãdo Aristo. primæ substantiæ exemplum reddens huiusmodi uoce utatur, eam pro certa aliqua singulari usurpauit: cuiusmodi sunt Petrus, Ioannes, hic leo. Ex diuisionibus his, quæ uoces de numero harum quinq; eximãtur, colligamus: ut quæ his contineantur, manifestum fiat. In primis ab hoc numero excluduntur, quæ composita sunt, quocunq; cõpositionis modo. Vnde fit ut diffinitio inter has nequeat recenseri, nisi loco simplicis accipiatur, quod fit penuria uocabulorum. Præterea quæ sunt homonymæ, nihil habent commune cum his, quod ex singularum natura percipi potest. Genus omne formis ex æquo conuenit, & ratione una, species rebus singulis eodem modo tribuitur, & reliquæ omnes his de quibus dicuntur. Postremò singula

*Singularis uocis forma diuersa.*

*Quæ uoces eximãtur de numero harum.*

gularis uox cum his, de quibus agimus, pugnat ex diametro. Concludamus igitur ex his uniuersam uocem, quam uulgò Prædicabilem appellant, uocem esse omnino simplicem, quæ de multis suapte natura synonymè efferatur.

## De rebus uniuersis.

### CAP. IIII.

GEnus, species & reliqua attributa ita uocibus cõueniunt (quemadmodum diximus) ut ad res potissimùm pertinere uideantur. Voces autem, quibus ista cõpetunt, simplices sunt, & communes, tales quoq; existāt res ipsæ necesse est, simplices scilicet, & communes, aut (quod idem est) uniuersæ. Sed in uocibus communio ista facilis est intellectu. Quis enim non nouit uocem animal unam eandemq; esse, & multa eadem prorsus ratione notare: quod ex prima illorum positione traxit, qui illā rebus multis significandis indiderunt. At quo pacto res una ac eadem communis sit multis, cùm repugnet sensuū iudicijs, non facilè percipi potest, aut explicari. Hæc est disputatio de rebus uniuersis, ardua nimis, multos habēs recessus; quæ doctißimis quibusq; negotium facessit. Cuius plena perfectaq; explicatio ex uarijs Arist. locis, tum ex Dialectica, tum ex Philosophia utraq; desumptis, petēda est. Desiderat enim cognitionem animæ uirium, & earundem operum, facultatis præsertim intelligēdi, eius, quæ agit, & quæ patitur. Hac sane nobis hoc loco licuisset cum Porphyrio bona fronte supersedere: sed ne quid uideamur prætermittere, quod ad disciplinam, quam tradimus, necessariū uideri poßit, atq; minus præstare quod sumus polliciti, nõnulla attingemus utilia sanè ad intelli- Difficilis disputatio de rebus uniuersis.

*gentiam uocum, de quibus agere paramus: sed ita facili stylo pertractata, ut eorum, qui nunc primùm ad hanc artem accedunt, captui sint, uel maxime accõmodata.* Et *quoniam in omni disputatione quæstio sit res necne prima esse solet, qua neglecta frustrà reliquæ disputantur, primũ quod* Arist. *facit.4.ca.3.* Meta. *Quæstionis propositæ partem utrãq; tractemus dubitationibus in medium allatis: harum enim solutio eius erit explicatio, & ueritatis cognitio.* Esse *uniuersum aliquid in rebus præter res singulas, his rationibus probatur:* Si *singularia essent omnia, essent planè omnia sensilia: cùm igitur omne sensile sensu percipiatur, nil esset menti subiectum, quod intelligeret, ita solis sensibus uita posset traduci, ac uis intelligendi frustrà nobis esset tributa.* Prætereà *Diffinitiones, scientiæ rerum sunt, non singularum: igitur uniuersa esse oportet, quæ diffiniantur, & comprehendantur scientia. Singularia autem sub scientiam non cadere, hinc constat: scientia est certa & necessaria cognitio, singularia uerò incerta, mutationi & uicißitudini obnoxia: non possunt igitur scientia comprehendi.* Deinde *infinita scientia nulla complectitur: at res singulæ de sententia* Arist. *sunt succeßione infinitæ: quare relinquitur scientiam non esse rerum singularum.* Alteram *quæstionis partẽ nil esse in rebus uniuersum per hæc, quæ probabilia sunt, licet ostendere.* Quicquid *est unum numero ac singulare esse experimur, quod constabit omnia lustrãti.* Nulla *est hominis natura, quæ non sit in aliquo ex singularibus: putare enim aliquam ab ipsis particularibus esse auulsam, absurdum est, & figmento simile: idem de cæteris rebus est iudicium.* Omnis *igitur natura & substantia*

*Prima ratio.*

*Secunda ratio.*

*Non esse uniuersa duplici ratione ostẽditur.*

*Prima ratio.*

stantia singularis est. Iã si quid esset uniuersum, aut ergo qua in rebus singulis hæret, aut qua absq; rebus singulis cogitatur, & cognoscitur, alius enim excogitari modus nullus potest: sed qua in rebus singlis hæret, quicquid est, est singulare: qua uerò mẽtis functione à rebus singulis auellitur, uere nõ potest fieri uniuersum: nã si uere fieret, uerus quoq; esset intellectus, at fallitur proculdubio. Qui enim intelligit rẽ aliter quàm e st, fallitur: sed mens naturam particulariũ absq; ipsis cõprehendens, rem aliter quàm est intelligit, decipitur ergo in huiusmodi cognitione, ac falsus est prorsus. His sanè rationibus solutis & esse aliquid in rebus uniuersum, & quo pacto id fiat, atq; unde trahat huiusmodi appellationem, pespicuum euadet. Oportet autem, ut id cõmodè exequamur, resq; alioqui obscura, fiat apertißima, quædã præfari, & tanquàm principia statuere. Vis in nobis cognoscẽdi duplex est, sensus, & mens. Mentis autem ea uis est, ut poßit, res alioqui coniũctas, secernere, ac separare. Nec mirũ, cùm id poßit uisus, qui pomi colorem uidet, odorem autẽ non sentit. Porrò separare mentem rem unam ab altera, cùm sint coniunctæ, hunc reddit sensum, posse unam intelligere absq; altera. Hæc ratio intelligendi uulgo à Dialecticis abstractio appellatur, & nõ in omnibus rebus cõiunctis locũ habet. Cùm res ita sint inter se compositæ, ut sit altera altera prior, uel solo ordine naturæ, cuius generis sunt animal & homo, potest quæ prior est absq; posteriori cognosci, ut animal absq; homine: posterior absq; priori, non potest. At cùm rerum ea est connexio, ut ex se mutuò pendeãt, & simul sint natura, separari intelligentia nequeunt: cuius generis sunt ea, quæ cũ aliquo cõ

Secunda ratio.

Primum principiũ

Secundũ principiũ.

Tertium principiũ.

Idem in reliquis modus est. Ex his principijs facile est quæstionem propositam explicare, hoc est, quomodo res uniuersæ fiant, & unde hanc appellationem sortiantur. Enimuerò res ipsæ, quâ sunt, singulares sunt non minus, quàm ea in quibus hærent, singularia. At cùm mētis functione à rebus singulis auelluntur, & sine singularibus cogitantur, tunc demum & uniuersarum, & (ut aiunt) prædicabiliū nomē accipiūt. Sic hominis natura quamdiu hæret in particularibus hominibus, una est numero in singulis, & particularis. Quāprimùm uerò cogitatur absq; singularibus fit uniuersa, & uim accipit, ut de multis poßit efferri, dicaturq; Species. Sed cōsiderāda est diligēter hoc loco diuisio uniuersi ab Ammonio tradita, in id quod est ante multa, in multis, & post multa. Vniuersa ante multa ideæ sunt in mente opificis, quas primus Philosophus contemplatur. Vniuersum in multis natura uocatur in rebus singulis hærens, quod alij potestate uniuersum solent appellare. Vniuersum post multa, seu posteriùs genitum, est natura rerum singularum, mētis functione ab ipsis rebus singulis auulsa. Id uerè uniuersum est, ab alijs dictum uniuersum actu, de quo Aristote. ita scribit: Vniuersum, inquit, aut nil est, aut posterius est. Huius hæc erit diffinitio, quod in multis est, & unū præter multa. Cuius diffinitionis partes ad diuersa referēdæ sunt. Priùs illud esse in multis ad rē pertinet: uniuersum enim in multis est re ipsa, omni mētis cogitatione sublata. Alterum, unū esse, ac præter multa, ad animum spectat. Nam præter multa reuera non est, sed intelligentia tantùm, quia absq; singularibus cōcipitur. Vnum quoq; uocatur, quia ut unum cognoscitur, & notione ūna. Su-

*Explicatio notionis quæstionis.*

*Diuisio uniuersi in tres partes.*

*Definitio uniuersi.*

*perest rationibus propositis satisfaciamus: quas ex fundamentis, quæ iecimus, diluere facilimum est. Ad utranq; eodem modo respondendum est. Res quâ sunt, non dicuntur uniuersæ, sed singulares: quia in singularibus hærent. Quâ autem absq; his cogitantur uniuersarum nomen, generum, formarum sortiuntur. In hac autem cognitione, tametsi intellectus rem aliter, quàm est aprehendat, quia id non diuidens facit, aut componens, sed simplici intelligentia, nec uerus, nec falsus dicetur: ista enim in sola cōpositione & diuisione reperiuntur. Alia multa sunt præter hæc ad præsentem disputationem spectantia, sed ex his cognitis ad reliqua, & ad has quinq; uoces pernoscēdas, facilis patebit aditus.*

*De numero uocū, quæ prædicabiles dicuntur.*

CAP. V.

*VOces cōmunes, quæ alijs tribuuntur, quinario numero sunt cōprehensæ, & in quinq; generalia capita redactæ, Genus, Speciem, Differentiam, Proprietatem, & commune Accidens. Id hac ratione cōcludimus: Hæ uoces de alijs efferuntur, propterea uulgò dictæ sunt prædicabiles: quot igitur modis rem unam continget de altera enuntiari, tot erunt uoces: at quinq; dūtaxat modis illud accidit, quare relinquitur quinq; solùm fore uoces. Assumptio ita demonstratur: Quod de alio dicitur, aut secundum substātiam illi conuenit, aut secundum accidens, ac fortuito: si secundum substantiam, aut in quæstione ea dicitur, qua quæritur quid res sit, aut qua quæritur qualis sit: hic posterior modus proprius est differentiæ, ille in duas partes scinditur. Aut enim quod illo modo enuntiatur, de multis effertur specie differētibus, aut*

de differẽtibus solo numero: illud ad genus pertinet, hoc alterum formæ accommodatur. Si uerò quod tribuitur secundum accidens conueniat, si cõuersim & mutuò enũcietur, proprietas erit: si uerò non mutuò, quintam uocem constituit, scilicet accidens. Ita relinquitur quinq; tantùm esse communes uoces, Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, Accidens.

Quo pacto obiectiones soluantur, quæ fiunt aduersus præfatum numerũ quinq; uocum.

CAP. VI.

NVmerum uocum cõmunium minorem esse quinario, ex his, quæ primo Topico Arist. scripsit nonnulli ad hunc modum conatur ostendere. Arist. attributa Dialectica quatuor dumtaxat constituit, Genus, Diffinitionem, Proprietatem, & Accidens: at Attributũ idẽ penitùs, quod uox communis, quæ Predicabilis dicta est, esse uidetur. Debuerat ergo Porphyrius uoces has eodẽ etiam numero concludere. Præterea Species & Differentia ab Aristot. non recipiuntur in numerum attributorum, Diffinitio autem recipitur: illæ igitur inter has uoces non erunt recensendæ, & diffinitio falsò expungitur ex numero earum. Hæc omnia soluuntur ex diuerso, Porphyrij & Arist. consilio atq; proposito. Porphyrius uoluit uoces omnes cõmunes & significantes, quas Aristo. decem Categorijs concluserat, in paucißima, quò ad fieri posset, & generalia capita reuocare. Arist. uerò instituit certum quæstionum numerum, quæ subiectæ sunt Dialectico explicare. Ita non mirum est, si ille quinq; cõstituit uoces: hic uerò quatuor attributa, cùm quatuor tantùm sint, quæ in omni Dialectica quæstione quæruntur.

1. Ratio.

2. Ratio.

Solutio rationum.

 tur.

cognitionem percipiendã, & homo. Postremò accidente, ut quod sedet, quodq; musica præditum est, & Socrates. Res etiam unaquæq; sibi eadẽ est numero. Quæ differũt totidẽ etiam modis dicuntur, genere, specie, numero. Genere differunt diuersa genera, aut quæ continentur sub diuersis generibus: ut animal & planta, homo & quercus. Differunt specie diuersæ formæ, aut singularia sub diuersis formis cõprehensa: cuius generis sunt homo & leo. Singularis homo, & singularis leo. Differentia numero uocãtur, quæ non unitate sola, sed numero aliquo numerantur: ut Petrus & Ioannes. Quæ conueniunt ita sunt inter se composita: quæ numero sunt eadem, maximè cõueniunt, minimè omnium quæ solo genere, medio modo quæ specie. In his quoq; quæ differunt, ordo quidã seruatur. Maxima differentia est eorũ, quæ discrepãt genere, minima eorum, quæ numero solo differunt, medio modo quæ specie dissentiunt. Hunc ordinẽ sequitur certus cõsecutionis modus, qui in utrisq; seruatur, & ualet. Ex maiori rerũ aut cõuenientia, aut differẽtia, minor rectè cõcluditur, nõ tamẽ contrà. Ita quæ differũt genere, necesse est specie distinguãtur; quæ uerò specie, etiã numero: non tamẽ retrò uicissim commeat. Rursus, quæ numero eadẽ sunt, specie pariter cõuenire, & quæ specie conueniunt, itidem genere eadem esse, necesse est. At si ista cõuertas, non respondebit, nec ualebit consecutionis ratio.

Tribus modis res differunt.

Quo pacto sint inter se composita, quæ conueniũt, & differunt.

Cõsecutionis modus in his.

Quòd sit à Genere inchoandum naturæ methodo, quæ in disputatione ista seruatur.

CAP. VIII.

IN explicatione harum uocum naturæ methodũ, qui compositionis est ordo, sequutus est Porphyrius: à

*Primũ locum obtinet genus*

*quo nobis non erit recedendum.* Hic uerò postulat ut à *primis initium ducatur.* Itaq; *cui uoci primus locus debeatur, erit diligenter inquirendum.* Enimuero *primum sibi locum* Genus *uendicat.* Nam *cùm sit ex earũ numero, quæ secundum substantiam de rebus dicũtur, & substantia accidentibus prior existat, erit sanè proprietati & accidenti, quæ fortuitò rebus conueniunt, præponenda.* Iam *cùm* Species *totum quoddam sit, tametsi eundem habeat dicendi modum cũ genere, genus uerò pars quædam speciei, totum autem partem naturæ ordine sequatur, posterior erit genere species.* Superest *idem in differentia ostendamus, quæ speciei etiam pars est, & secundũ substantiam de formis subiectis effertur.* Id *uerò concluditur ex similitudine* Porphyrij. Genus *in constitutione speciei materiæ respondet, differentia formæ: materia autem formæ subijcitur, estq; hac sola causa prior: ergo & genus prius erit differentia.* Quare *cùm sit naturæ ordine à primis inchoandum, genus uerò primum sibi locum uendicet, de genere primo loco dicendum erit.* Genus *uox*

*Homonymia generis explicatur.*

*homonyma est.* Genus *dicitur, si eorum, quæ sunt in eadẽ specie continua sit generatio.* Vocatur *quoq; genus principium generationis, siue sit patria, siue is qui genuit.* Collectio *etiam multorum, qui inter se affinitate aliqua iuncti sunt, & ab aliquo principio fluxerunt,* Genus *dicitur: ut* Romanorum *genus, aut* Græcorum. Verùm *hæ omnes significationes longè alienæ sunt à nostro instituto.* Illa *sola ad nos pertinet, qua significat cõmune quippiam & uniuersum, quod multas sub se complectitur species.*

Quid

## Quid sit genus, & quot modis dicatur.

CAPVT IX.

OMissis generis finitionibus, quas quinto ac decimo Metaphys. tradit Arist. illam solam pertractabimus, quæ à Porphyrio ex primo Topico sumpta est. Genus est, quod de multis dicitur specie differentibus in ea quæstione, qua quid res sit quæritur: ut animal, planta. Prima parte à rebus singulis genus separatur, quæ de uno tantùm dicuntur. Pars altera, de differentibus specie, genus à specie seiungit, quæ de differentibus solùm numero effertur. Postrema à reliquis uocibus differentia, proprietate, accidente, quibus longè alius conuenit dicendi modus, in quæstione scilicet, qua quæritur rei qualitas. Modus dicendi finitionis maximam cum eo, qui generi cōuenit, uidetur habere similitudinem: nam in ea quoq; dicitur quæstione, qua quid res sit quæritur. Sed discrimen est non exiguum, quod nouisse operæpretium erit. Definitio dicitur in quæstione qua quæritur quid res sit, secundum totam speciei substantiam: quicquid enim in specie inclusum latet, continet actu, & explicat: ut animal particeps rationis, quæ diffinitio hominis est, nil est in hominis substantia comprehensum, quod non declaret, & suo ambitu actu cōplectatur. Genus autē tametsi quæ sunt in specie omnia comprehendat (non enim posset alioqui de specie uerè enūtiari) sed quod materiæ respondet, actu continet: quod uerò formæ, qualis est differentia, potestate sola. Vnde constat inter genus & diffinitionem, in ipso etiam dicendi modo, plurimum interesse. Genus in duas partes distribuitur, summum & intermedium. Summum genus ac supremum (quod uulgò generalißi-

Generis finitio.

Obiectio.

Solutio.

Generis diuisio.

nem quandam notant, quæ ad se inuicem referuntur. Cū naturā spectamus, genus esse prius specie uerè asserimus: ut animal homine. Cùm autē consideratur habitudo, aut res quâ habitudini subijciuntur, simul sunt, & nec re, nec cogitatione separantur. Speciei nomen multa notat, sed pro cōmuni uoce à nobis sumitur una ex his quinq;. Speciei duplex affertur diffinitio: species est, quæ subijcitur generi, & de qua genus dicitur in quæstione, qua quid res sit quæritur. Huic finitioni addendā esse partē hanc proximè multi censent, ut reijciantur singularia, quæ ipsis quoq; generibus subijciuntur. Alij rem aliter interpretātur, sed cùm sit species res quædam uniuersa, aut cōmunis uox, hæc ipsa in proposita diffinitione, aut intellecta, aut expressa, propriā eā facit solius speciei. Altera diffinitio: Species est, quæ de pluribus effertur numero differentibus in ea quæstione, qua quid res sit quæritur. Harū quæ sint differentiæ explicata diuisione speciei, faciliùs innotescet. Species, quemadmodum & genus, duplex est, ultima & interiecta. Interiectæ sunt, quas intermedia genera appellauimus: quibus utrunq; conuenit, speciem esse, & genus. Vltimæ uocantur, quæ species modò sunt, non genera: ut homo, cādor, binarius. Inter diffinitiones illas, duæ sunt dißimilitudines: prior speciei conuenit, quâ cū genere cōfertur: altera, quâ uox est communis & uniuersa. Rursus, illa omnem speciem complectitur, ultimam, & intermediam: hæc soli ultimæ accommodatur. Nā interiecta tametsi de multis dicatur numero differentibus, his comparata non formæ, sed generis nomē retinet. Vltima uerò siue cum genere conferatur, siue cum rebus singulis species perpetuò appellatur. Obijciunt multi aduersus hanc posteriorem Speciei finitionem hoc potißi-

*Prima finitio speciei.*

*Diffinitio secunda.*

*Diuisio speciei.*

*Dubitatio.*

mum modo: Species quâ species est tantùm subijcitur, ergo illi non conueniet dici de multis: aut certè proposita diffinitio speciei non sub ratione formæ conueniet, sed alio quodam modo. Cui obiectioni sic occurrendum est: Species nomen est eius habitudinis, qua forma ad genus refertur, secundum quam relatum quoddam est, & eius quoq; qua confertur cum rebus singulis, quæ illi tribuit, ut attributum sit, & uox (ut aiunt) prædicabilis. Itaque homo siue cum genere conferatur, siue cum inferioribus, nomen obtinet speciei. Vnde relinquitur, diffinitionem posteriorem formæ, etiam quatenus species est, conuenire.

Soluitur.

## De differentia.

### CAPVT. XI.

Differentiæ secundus in hac disputatione locus debebatur, sed ob causam præcedenti capite à nobis expositam, fuit prius de specie differendum. Primùm annotare oportet, ne ignorata nominũ significatione, decipiamur, uocabula hæc, differre, & diuersum esse, sæpe cõfundi, ut altero alterius loco utamur: sed ab Aristo. uim utriusq; acutiùs intuente ita distinguũtur: Differre dicimus, quæ aliqua differẽtia separatur, ut homo & equus, quos separat differentia, particeps rationis. Diuersa autem uocantur, etiam illa, quæ nulla media differẽtia seiunguntur, sed seipsis tantùm: cuiusmodi sunt ipsæ differentiæ, particeps rationis & expers: quæ proprijs substantijs secernuntur, non differentia ulla. Nam alioqui oporteret in infinitum progredi, si omnis diuersitas ex differentia aliqua sumeretur. Hæc præfati, ad explicandos differentiæ modos accedamus. Quemadmodum res

Quid interſit inter differre, & diuersum esse.

tribus modis differunt, ita triplex erit differentia, communis, propria, & maximè propria. Communis differentia est, communis affectio, qua commutatione quauis res una differt uel à seipsa, uel ab alia: ut sedere, stare. Propria est, affectio propria, quæ auelli funditus non potest: ut nasi aducitas, cicatrix, quæ ex uulnere ut callum obduruit: sic differt coruus à cygno, nigrore scilicet, qui ab ipso coruo auelli non potest. Maximè autem propria dicitur, quæ est speciei procreatrix: qua differt homo ab equo secundum substantiam: quæ tertia communium uocum numeratur. Alia etiam proponitur differentiæ diuisio, quæ tamen partes prioris easdem complectitur, ac notat alijs uerbis. Differētia alia separari potest ab eo, in quo est, alia non potest. Moueri, stare, sedere, quas cōmunes differentias appellauimus, separari quidem possunt. Aduncitas autem nasi, niuis candor, particeps & expers rationis euelli distrahiq; non possunt. Eorū autē, quæ disiungi possunt, aliqua etiam distinctio est. Aliæ enim ex se & ui sua conueniunt rebus; aliæ casu & fortuitò. Per se insunt quæ speciem efficiūt, & in diffinitione, qua uis & natura rei explicatur, adhibentur: quas maximè proprias appellauimus. Quæ temere ac fortuitò, nec speciem procreant, nec ad diffinitionem addūtur: quæ dictæ sunt à nobis propriæ. Differētia maximè propria, quæ ex ui sua formis conuenit, tertiam constituit uocem, & à prioribus illis his differentijs separatur: illæ immutant aliquo modo, hæc alium facit eum, in quo est, hoc est, diuersum ab alijs secundum substantiam. Illæ generi adhibitæ non efficiunt speciem, hæc unà cum genere formam procreat, & diffinitionis substantialis pars est.

Triplex differētia

Altera diuisio diff.

Differentiæ maximè propriæ, & aliarū discrimina.

quorū particeps rationis generi adhibitū, hominē complet, expers uerò rationis brutū. Diuiditur quoq; differētia in ultimā & intermediā quēadmodū species. Vltima est, quæ cū ultima specie uicißim cōmeat: ut rationis particeps, quæ solius hominis propria est. Intermedia cū intermedia forma reciprocatur: cuiusmodi sunt sentiēs, animatum, corporeū. Harum diuisionū hæc dißimilitudo est, quòd prior sit rei subiectæ in affectiones: posterior uerò generis in formas. Diffinitionum uerò, quas tradidimus, inter alia multa, hoc potißimum discrimen annotandum est: postrema soli intermediæ differentiæ accommodatur, tametsi multi eam uelint ad utranq; pertinere, nimis acutè diffinitionē interpretati: reliquæ uerò utrunq; genus complectuntur differentiæ, ultimam, & interiectam. Quòd autem solam interiectam Porphyrius diffinitione ultima explicauerit, hinc factum esse existimare possumus, quòd earum, quæ ultimæ sunt, & cū infimis formis commeant, rarus admodum sit usus, ut uix una innotuerit. Nam & rationis particeps, quā reciprocari cum homine atoma specie credūt Peripapetici, Porphyrius generalem esse differentiam more Platonicorū falsò est arbitratus. Quæ extant, & in diffinitionibus, ut rei substantia explicetur, adhibentur, cum intermedijs formis reciprocantur: cuiusmodi sunt omnes, quas in exempla sumpsisse uidetur.

*Secunda diuisio.*

## De Proprio.

### CAPVT. XI.

PRoprium ad rei substantiam propiùs accedit, quàm commune accidens, ita priori loco sese nobis offert explicandum. Dicitur autem Proprium quatuor modis.

*Quadruplex proprij significatus.*

Primo, quod soli conuenit speciei, etsi non omni: ut Grãmaticum esse, Geometrã esse homini. Deinde quod toti speciei, etsi nõ soli: quemadmodum homini naturã bipedem esse. Est enim omnis homo natura bipes, sed & alia præterea animalia bipedia sunt. Tertio, quod in tota solaq; specie reperitur, sed interdũ: ut homini in senectute canescere. Quæ his modis propria dicuntur, accidentia sunt, & ad quintam uocem referũtur. Quod quarto modo dicitur, id uerè propriũ est, & uocem hanc, de qua agimus, quartam constituit. Ab Aristote. diffinitur, quod omni cõuenit, soli, & semper, & uicissim commeat cum specie, eiusq; substantiam non declarat. Vt ridere homini, hinnire equo. Postrema pars Proprium à Differentia distinguit, quæ tametsi soli speciei conueniat, omni, semper, & cum ea reciprocetur, uim eius & naturam declarat, ac in diffinitione substantiam indicante collocatur. Sed aduersus hanc partem, quod scribit Arist. 5. Topico obijci potest, scilicet non esse proprium, quod genus non cõplectatur: genus autem uim rei substãtiamq; declarat. Quod ex diuisione proprij diluendum est. Propriũ apud Aristo. aliud simplex est, aliud compositum. Simplex uocatur, quod modò diffiniuimus. Cõpositum appellat rei descriptionẽ, quæ ex genere, & aliqua propria affectione conflatur: ut animal disciplinæ capax. Illa igitur, quæ 5. Topico scripta sunt, ad compositam proprietatem sunt referenda: nos autem hic de simplici agimus, quæ nullam continet partem speciei. Proprium non solùm ad infimã formam pertinet, de quo potissimum disputationem instituit Porphyrius, sed & alijs omnibus cõuenit, atq; tribuitur. Habent genera suas proprietas, tã summa, quàm inter-

*Proprij diffinitio.* *Obiectio.* *Proprij forma.* *Soluitur.*

*interiecta. Quin & entis proprietates multæ sunt, unũ, uerum. &c. Inter propriũ & accidens multa intersunt: sed hoc potißimum est discrimen: proprietas intima rei principia sequitur & ex eorum coniunctione nascitur, ac effluit: accidens uerò nec ad uim naturamq; rei pertinet, nec quicquam cum ea habet commune.*

De Accidente.

CAPVT. XIII.

*Nomen Accidentis bifariam dicitur, significat in primis quicquid nõ est substãtia, quo modo sumptum latißime patet, & proprietatem complectitur, ut inter substantiam & accidens nihil omnino medium intersit. Sumitur & paulò contractiùs, quà uagum & cõmune accidens notat, quod ad certam speciem nõ arctatur, nec eius principia intima cõsequitur: qua ratione sumptum proprietatem non comprehendit, & quintam uocem constituit. Accidentis huius duplex ab* Aristotele *in* Topicis *redditur finitio. Prior est, Accidens est, quod neq; est genus, neq; species, neq; differentia, neq; proprium & semper in subiecto inhæret. Aduersus hanc diffinitionem ista fermè obyci solent: Diffinitio, quæ per abnegationem aliarum rerum traditur, uitiosa est: in id enim paratur, ut quid res sit explicet: negatio autem nõ tam quid res sit declarat, quàm quid nõ sit. Præterea ex accidentibus genera multa sunt, ut quantitas, qualitas: multa formæ, ut arbor, numerus. Falsò igitur de numero generum & formarum accidentia eximuntur. Ad hæc ita respondendum est. Substantialis diffinitio negatione constare non potest: nam ex genere & differentia coalescit, quorum utrumq; affirmatio est. Nihil autem* Obiectio prima. Secunda obiectio. Solũtur dubitat.

*tem prohibet, quando multa explicanda suscipiuntur, prioribus iam expositis, quod postremum est, per aliorum abnegationem describi, modò aliqua præterea adijciatur affirmatio, quæ orationem parem illi efficiat & propriã: quod in præfata diffinitione obseruatur. Porrò accidentia aut cum substantia conferuntur, aut cum his, quæ sunt eiusdem Categoriæ. Substantiæ comparata Accidentium nomen seruant, nec genera sunt, nec species, nec differentiæ: cum his autem collata, quæ in eadem serie collocantur, generum, ac formarum subeunt rationem: ut uirtus studioso homini comparata accidẽs est iustitiæ uerò ac temperantiæ genus dicitur. Nos autem accidens qua cum re subiecta confertur, considerauimus: ita relinquitur propositam descriptionem rectam esse. Altera accidentis diffinitio est, quam ueriorem esse & aptiorem iudicat Aristoteles, quod potest adesse & abesse sine eius rei, in qua situm est, interitu. Quæ diffinitio tametsi uideatur ex partibus contrarijs esse composita, facit tamen potestatis nomen, ut nulla sit inter partes repugnãtia: adesse enim & abesse cõtraria sunt, posse tamen adesse & abesse eidem rei conueniunt. Accidentium duo sunt genera: alterum, quod separari potest: alterum, quod non potest. Dormire, sedere, stare, in his sunt, quæ separari possunt: nigror sic in coruo inest, & candor in niue, ut separari non possint. Hæc diuisio tametsi uideatur posteriori diffinitioni repugnare, est tamen illi maximè consentanea, in qua illud idem omnino accidẽs diuiditur, quod fuerat antea diffinitum. Nam quod separari non potest re ipsa, animo tamen & cogitatione distrahi ac disiungi potest: possumus enim*

*Altera finitio accidentis.*

*Diuisio accidentis.*

coruum absque nigrore, & niuem sine candore animo comprehendere, substantia utriusq; incolumi manente. Sunt qui postremam partẽ definitionis, sine rei interitu, ad utranq; partẽ cõiunctionis referant, ut sit sensus, accidens est, quod potest adesse absq; interitu rei, & abesse quoq; sine interitu eiusdem: quam interpretationem sequuti, coguntur contractiorem facere diffinitionẽ, quàm par est. Nam mors, interitus, & quæ sunt similia, illo diffinitionis sensu nõ comprehenduntur. Nobis placet diffinitionem latißime patere, quemadmodum & accidẽtis nomen, quod diffinitur, complectiq; etiam accidentia illa, quæ rei interitum afferunt. Erit autem ita accipienda, ut pars ultima ad posteriorem coniunctionis partẽ, hoc est, potest abesse, referatur.

De attributione & partibus eius.

CAPVT. XIIII.

Vnaquæq; harum uocũ propria habet subiecta, de quibus effertur, ita ut si alijs tribuatur, præter ordinem id fiat & naturam. Generi formæ subijciuntur & res singulæ: speciei sola singularia: differentiæ formæ, & quæ sub se continent particularia: proprietati & accidenti hæc eadem subiecta sunt. interest hoc tamẽ, proprio forma proximè subijcitur: singularia uerò secundo loco gratia formæ: accidẽtis proximum subiectũ est singulare, quo medio ipsum ad speciẽ traducitur. Quòd enim homo albus sit, aut Grammaticus ex ipsis particularibus trahit: natũ autẽ esse ad perdiscẽdas disciplinas, ex homine ad singulos deriuatur. Ex his possumus facilè quid sit attributio, quã uulgò prædicationem appellant, intelligere. Ea est enuntiatio, in qua uox aliqua communis de *Propria cuiusque uocis subiecta.* *Quid attributio.*

proprio subiecto effertur: cuiusmodi est, quæ genus de specie aut rebus singulis enūtiat. In hac Porphyrius maiora de minoribus, aut paria de paribus dici debere cōstituit. Qui ordo si permutetur, nō erit rerū naturæ cōsentaneus. Attributionis duæ formæ sunt, substātialis & accidētaria: fit illa quādo attributū ad uim & naturā subiectæ rei pertinet, quā cōstituunt tres uoces, Genus, Species, & Differētia: hæc uerò cùm attributū nō pertinet ad naturā subiecti, cōflaturq; ex proprietate & accidēte, modò substātiæ cōparētur. Si enim alijs tribuātur, his scilicet, quæ sunt eiusdē ordinis, essentialē attributionem conficiunt: ut cū uirtus de iustitia effertur, aut color de albo. Quid intersit inter attributionē & enūntiationē facilè iudicabit, qui utriusq; naturā perspectā habuerit. Ex his quæ diximus, hoc certè manifestū est, perinde inter se affecta esse, ut partē & totum: subijcitur enim enūciationi attributio, quemadmodum forma generi.

*Attributionis species.*

De usu quinq; uocum.

CAP. XV.

Porphyrius ad multa utilem esse disputationem hāc de quinq; uocibus testatus est, ad diffinitiones reddēdas, ad diuisiones, & ad ea, quæ de demōstratione præcipiuntur. De quibus uidebatur nobis hoc loco differendū, explicandumq; quo pacto ad ista omnia præstāda cognitio harū uocū magnū adferret adiumētū. Sed cùm his uocibus rerū omniū, quæ decē Categorijs distincta sunt, appellationes cōtineantur, & ordines Prædicamentorū ex ijsdē conflentur, certè harum uocum & Categoriarū idem usus erit. Quare cùm post disputationē prædicamētorum, eorundē usus & utilitas explicanda sint nobis,

*satiùs fuerit, ijs nunc supersedere, cęsereq́; tractationem hanc quinq; uocum ad Categorias exactè pernoscendas conferre plurimũ, & huic usui potißimũ destinari. Reli quos cõmunes habet( quemadmodum diximus) cũ dispu tatione Categoriarum.*

Libri tertij finis.

# DE COMPOSITIONE ARTIS DIALECTICAE LIBER QVARTVS.

## *De his, quæ à Græcis Prolegomena appellantur.*

CAP. I.



IBER *hic, quem aggredimur, prima continet totius artis Dialecticæ elementa: in quo propositum est de decem Categorijs Aristoteleo more disputare. Quòd autem ab his in arte Dialectica docenda sumendum sit initium,* *Libri quarti institutum.* *methodus, quã tenuit Arist. & à nobis obseruatur, satis apertè declarat. Sequimur enim (quemadmodũ diximus) compositionis ordinem, qui postulat, ut ab ijs, quæ sunt omnium simplicißima, inchoetur. Esse autẽ simplicißima omnium ea, ex quibus Categoriarum ordines conflãtur,* *Simplicissima esse categoria probãtur.* *ex finis Analysi, seu resolutione perspicuum euadit, quæ in hæc ipsa finitur ac desinit. Nã cùm sit finis totius artis, fides quæ fit rebus disserẽdo, hæc autem nõ aliter cõ-*

*modiùs, quàm ratiocinatione aliqua paretur, primùm in ratiocinationẽ fides dissoluitur. Porrò ratiocinatio partes habet, ex quibus cõstatur, simplicia pronũtiata. Hæc minimæ partes artis non sunt: in alia enim priora diuiduntur, scilicet in simplices uoces ad rem aliquam significandam institutas. Hæ rursus in alia priora non soluuntur. Quare in his finis est resolutionis, ex quibus cõstant Categoriæ. Vnde relinquitur simplicißima esse omniũ & minutißimas totius artis partes, ac proinde ab ijs nobis compositionis methodum secutis ex neceßitate esse inchoandum. Hæc ad institutum libri huius pertinent & ordinem: nunc de inscriptione pauca dicamus. Inscribitur tractatio hæc de decem Categorijs, seu (ut uoluit Fabius) de decem elementis. Inscriptionis autem ratio, & uis, ac etymon uocis uariè explicatur: nos uerò quod uerius est proponemus. Categoriæ nomẽ à κατὰ & ἀγορεύω deductũ est, quod Latinè dicere & appellare significat. Quod sanè cum rebus ipsis, de quibus disputatur, maximè conuenit. Agitur enim de decem summis generibus, quæ ita de alijs omnibus perpetuò dicuntur, ut nulli subijciantur. Quare meritò Categoriæ dictæ sunt, quæ prædicamenta uulgò appellantur. Ex his nõ est difficile, diffinitionem Categoriarum elicere. Sunt enim summa quædam genera, quæ de omnibus enuntiantur, & infinitam propemodum rerum omnium multitudinem suo ambitu comprehendunt. Quoniã autem singulis generibus multa subijciuntur ordine quodam, Categorias ordines ac series pleriq; appellare consueuerunt generum ac formarum: quorum alia alijs subijciuntur, alia efferuntur de alijs, quod non est à uero alienum. Non enim illorum no-*

his sententia probatur, qui huiusmodi ordines prorsus è medio tollunt. Reperiuntur sanè in Categorijs in singulis permulti, quemadmodum demonstrabimus: quorum est usus non exiguus. Tractationem hanc in tres partes distribuit Aristoteles. Potißima est, in qua uim & naturam singulorum generum declarat. Cæterùm quoniam ad eorum intelligentiam multa necessaria uidebantur, quæ ignota erant, atq; non usq; adeò in cõmuni usu posita, hæc in primis præfatur Mathematicos imitatus, quæ uulgò Antepredicamenta uocantur. Cùm autem in explicatione decem generum incidat in mẽtionem quorundam, de quibus pro dignitate eo loco disputari nõ poterat, ne res confunderetur & interrumperetur continuus sermonis progressus, de his paulò post differit, uocãtur autem Postprædicamenta. Nos eandem sequemur distributionem, & ab ijsdem auspicabimur, quæ Aristotel. in hac tractatione prima esse uoluit. Diuisio tractationis huius.

Sitne in Categorijs de uocibus, an de rebus, an potiùs de notionibus disputandum. CAPVT II.

HVius quæstionis explicatio magnum affert adiumẽtum ad præsentem disputationem intelligendam: idcirco alijs prætermißis, quæ sese nobis non paucæ offerebant, hanc solam breuißimè pertractabimus. Multi de solis notionibus agi arbitrati sunt: alijs uisum est uocum dumtaxat hìc rationem haberi. Nec defuerũt qui de rebus solis disputari asseruerunt, quorum omniũ falsa profectò est sententia. Illi uerius sensisse uidentur, qui ista cõiunxerunt, statueruntq; nec de uocibus solis, nec de rebus dumtaxat, nec de nudis notionibus suscipi disputationẽ: quorũ sententiæ libenter subscribimus. Sed alia mox oc- Vera sententia.

currit dubitatio: si de uocibus pariter & de rebus disserendum est, suntne utraq; ex æquo proposita, an alterum præcipuè ac primo loco, alterum secundo quasi loco & prioris illius gratia? Hæc quoq; dubitatio uarijs modis ab Aristo. interpretibus soluitur, quorũ tum sententias, tum rationes persequi longum esset. Quid igitur de ea sit sentiendum, tantùm dicemus. Ac primùm id intelligi oportet, aliud esse quærere, quæ in Categorijs præcipuè collocentur, aliud uerò de quibus potißimùm in hac tractatione Categoriarum disputet Dialectica: quæ qui non distingunt, coguntur planè longè aliter, quàm res sese habet, existimare. Enimuero in Categorijs res primo loco collocantur, uoces autem secundo loco gratia rerũ. Non enim uoces in Categorijs recipiuntur quâ uoces sunt, sed quâ sunt rerum notæ: ergo (quod de Genere, Specie, & alijs communibus uocibus diximus) ui principij Aristotelei res ipsæ primum in his sibi locum uendicabunt. At Dialectica uoces in hac tractatione præcipuè considerat, quâ scilicet medijs notionibus res significant. Qua autem causa id fiat, ut prima sit cura & cõsideratio uocum in hac arte, expositum est à nobis cap. 2. præcedentis libri: ubi eandem fermè quæstionem in uocibus quinq; communibus disputauimus.

*Explicatio quæstionis.*

De Homonymis, Synonymis, & Paronymis

CAP. III.

SEctionem primam tractationis Categoriarum, quam uocant Antepradicamenta, à disputatione Homonymorum, Synonymorum, & Paronymorum exorsus est Arist. quæ quid adferat adiumenti ad intelligentiam Categoriarum posteà dicemus. Nunc primùm quid ista sint,

*expediamus. Synonymia & Homonymia in uocibus præcipuè reperiuntur, & ex uocibus ad res deriuantur. Rebus enim ista competunt quâ uocibus comparantur. Id uel hoc solo argumento probatur, quòd res eædem ad diuersas uoces relatæ homonymæ dici poßint, & synonymæ: ut taurus mons, & bos animal, nomini tauro cõparata homonyma sunt: relata autem ad substantiam, synonyma. Ac uoces quidem tam synonymæ, quàm homonymæ, quales essent, cùm de quinq; communibus uocibus ageremus, satis abundè explicauimus. Hoc loco res spectandæ sunt & diffiniendæ. Homonyma igitur sunt, quorum nomen solùm cõmune est, ratio uerò naturæ, nomini congruens, alia atq; alia: ut uiuum animal, & quod pingitur, ad animalis nomen homonymæ res sunt: habẽt enim nomen animalis commune, sed ratio naturæ secundũ nomen animalis non est in utroq; eadem. Quod enim uiuit, quâ animal, substantia est corporea, uitæ & sensus particeps: quod autem pingitur, ueri animalis similitudo. Synonyma dicuntur, quorum & nomẽ commune est, & eadem nomini attributa naturæ diffinitio: ut homo & bos ad idem animalis nomen: est enim ratio animalis in utroq; eadem. Rectè autem in utraq; diffinitione adiecta pars illa est nomini congruens: quia quæ Synonyma sunt, secundum nomen, cui comparantur, rationẽ habent eandem, iuxta propria uerò nomina, aliam atque aliam: quemadmodum in homine & leone facillimè perspicitur. Præterà quæ homonyma sunt nomini uni comparata, si cum alio conferantur, (quod & paulò ante diximus) Synonyma fiunt. Homonymorum formæ multæ sunt, quas satius fuerit in uocibus explicare, quàm in re-*

Quid homonyma. Synonyma. Formæ homonymorum.

bus. Nam in illis facilius intelligentur, & in uocibus cognitæ minimo negotio ad res ipsas poterunt transferri. Homonymæ uoces aliæ casu dicũtur, aliæ cõsilio & cogitatione. Casu homonymæ sunt, quas casus aliquis ad res diuersas significandas traduxit: ut nomen taurus, quod cùm primò bouem animal significaret, temerè ac fortuitò factum est, ut ad significandum montem sit traductũ. Cogitatione homonymæ appellantur, quæ non casu, sed certo aliquo consilio rebus alijs significãdis sunt inditæ: ut nomen animal ad uiuum, & quod pingitur. Horum quadruplex est differentia, ex similitudine, secundũ analogiam, ab uno, & ad unum. Vox ex similitudine homonyma uocatur, quæ multa significat propter similitudinẽ, quæ in ipsis conspicitur. Huius generis sunt nomina illa omnia, quæ Astronomi signis cœlestibus indiderunt, Aries, Taurus. &c. non enim id factũ fuisse temerè credẽdũ est. Secundũ Analogiã dicitur, quæ multa notat, quod ratione quadã eadẽ sibi inuicem respondeãt, ut principij nomen ad punctum, & unitatem: quod est enim unitas in numero, idẽ punctum in magnitudine. Homonyma ab uno, quæ de multis dicitur, quã ab uno aliquo tanquã principio nomen accipiũt: ut uox Medicũ, quæ hominẽ arte præditum, librũ, opus significat, quatenus omnia ab arte medendi quodãmodo dicuntur. Est enim homo Medicus, qui artem callet: liber, qui artis præcepta cõtinet: opus, quod iuxta illa factũ est. Homonyma ad unũ dicitur, quæ multa cõprehendit, quatenus ad unũ aliquid tanquã finẽ referuntur. Vt uox sanum ad animal, colorẽ, medicamentũ, & exercitationem. Hæc nãq; omnia sanitatem modo quodam respiciũt. In animali suscipitur sanitas, color sa-

*Homonymum cogitatione quadruplex.*

nitatis

nitatis est index, medicamentũ hanc ipsam confert, quã tuetur exercitatio. Hæ formæ ita sunt inter se composi-tæ: inter homonyma casu, quæ omni ex parte homonyma censentur, & uerè synonyma, Homonyma cõsilio ac cogitatione mediũ locum uidentur obtinere. Nã in illis ratio est, aut prorsus eadẽ, aut penitùs alia atq; alia. In his partim rationes conueniunt, partim dißident: quod in illis, quæ ad unũ dicuntur, nõ est difficile uidere. Coloris enim animalis, & medicamenti, qua sani nomine comprehenduntur, rationes sunt sanitatem cõferre, sanitati subijci, & eiusdem esse argumentũ, quas partim conuenire, partim differre, nemo nõ uidet. Hactenus de homonymis & synonymis, reliquũ est ut de paronymis dicamus. Vocantur autem paronyma, quæ ab uno aliquo orta commutantur uariè, uel ab eodem fine differunt, ut à Grammatica Grammaticus, à sanitate sanus. Ducitur enim Grammaticus à Grãmatica, à qua fine & cadentia differt. Paronymorum tria sunt genera, quædã cũ formis ipsis re sola conueniunt: ut studiosus, quod à uirtute ortum est, & cum ea præter significationem nil habet commune. Alia uoce sola cum formis conueniunt, ut studiosus, si studio cõparetur. Tertij generis sunt re pariter & uoce cum formis conuenientia, quæ Arist. diffinitione complexus est: ad quod genus pertinent Grãmaticus, fortis, & his similia. Homonymis polyonyma opponuntur. Illa res diuersas una uoce significãt: hæc diuersis nominibus rẽ eandẽ declarãt, ut ensis & gladius. Synonymis opponuntur Heteronyma. Illa sunt eiusdem naturæ, & idem nomen habẽt: hæc diuersæ naturæ sunt, & ad diuersa genera referũtur, & diuersa nomina habent: ut leo, candor, Arist. Homonyma, Synonyma, & Paronyma censuit explicanda:

Homonyma quomodo inter se affecta sint.

Paronyma.

Quæ Polyonima, & heteronyma.

ficatus, ad eandem Categoriam pertinere: ut quantum & quantitas, sapiens & sapientia. De homonymis autem & Synonymis actum est (ut alias interim causas & rationes prætermittamus) ut discamus homonyma à Categorijs esse reijcienda, & in his solùm locum habere, quæ Synonyma sunt. Id ita esse, in hunc modum facilè ostendi potest: quæ in eadem sunt Categoria, cùm unū habeant proximum genus & differentiam unam ultimam, ex quibus diffinitio una conflatur, unam ac simplicem diffinitionē obtinebunt. At homonymis non una & simplex ratio accommodatur: quâ igitur homónyma sunt, in Categorijs non recipientur. Quòd si quando multiplices uoces & homonymæ in his collocari dicantur (dicimus enim animal & corpus genera esse substantiæ) sumū tur non quâ homonymæ sunt, sed quâ ad rem unam tantùm significandam arctantur. Vsus Homonymorum.

## De simplicibus uocibus & compositis.

### CAP. V.

DIcendum nobis hoc loco erat, quæ simplices essent uoces, & quæ compositæ: sed cùm in disputatione quinque uocum de his abundè à nobis actum sit, & diuersos earum modos simus persecuti, sat fuerit quid ista afferant adiumenti ad intelligentiam Categoriarū breuiter perstringere. Ergo intelligemus ex his, quæ simplicia sunt ad Categorias sola referri: composita uerò ab illis longè arcenda esse: etiam ea, quæ sola uoce composita sunt: cuius generis est diffinitio rei naturam & substātiā declarans, quæ in Categorijs collocari, nisi (ut aiunt) ratione partium nullo modo potest.

Diuisio eorum, quæ in Categorijs collocantur.

CAP. VI.

Tertium hoc est, ut uocant, Antepraedicamentum, quo uniuersa rerũ omnium multitudo, quæ in decem Categorijs collocantur, in paucißimas, quoad fieri potuit, partes redigitur, & breui quadam diuisione cõprehenditur. Ea poterat ad hũc modum tractari: Eorũ quæ sunt, alia sunt uniuersæ substantiæ, alia singulares, alia uniuersa accidentia, alia particularia. Sed Aristoteles loco horum proprietates substituit, & unumquodq; periphrasi quadam circunloquitur. Tradit itaq; diuisionem hoc pacto: Eorum quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicuntur, nec in subiecto insunt ullo. Alia in subiecto sunt, sed de subiecto nullo dicuntur. Quædam & de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt. Nonnulla nec in subiecto sita sunt ullo, nec de subiecto dicuntur. De subiecto dicuntur, quæ de aliquo ita enuntiantur, ut attributionem constituant substantialem, qualem, cùm de uocibus communibus ageremus, definiuimus. In subiecto autem id esse dicitur, quod est in alio, non ut pars, & ab eo in quo inest, seiungi separariq; non potest. De subiecto dici, rebus omnibus uniuersis conuenit: non dici, rebus singulis. Esse in subiecto, proprium est accidentium. Non esse in subiecto pertinet ad substantiam. Ex his perspicua est diuisio, & quid unaquaq; parte significetur, facilè intelligitur. Prima pars substantias significat uniuersas: secunda singularia accidentia: ut hic candor, hæc Grammatica. Tertia, uniuersa accidentia: cuius generis est scientia, quæ de Grammatica dicitur tanquam de subiecto, & in homine quodam inest

Diuisio Aristo.

tan=

*tanquam in ſubiecto. Quarta & ultima, ſingulares ſubſtantas: ut* Petrus, Ioannes*: quod proprietates, quibus iſta circunloquitur* Ariſtoteles *apertè indicant.* Nunc *examinanda eſt definitio eius, quod eſt in ſubiecto, aduerſus quam hæc fere afferri ſolent: ſecundæ ſubſtantiæ ſunt in primis, non ut partes, nec poſſunt à primis auelli, erunt igitur in eis tanquam in ſubiectis. Rurſus, bouis forma eſt in materia, & pars materiei non eſt, & diſtrahi à materia nō poteſt, quin pereat ſtatim.* Prætereà *res omnis in loco eſt & tempore, & pars horum non eſt, nec conſiſtit abſq; loco aut tempore: igitur in ſubiecto eſſe non eſt ſolius accidentis proprium.* Poſtremò *accidens unum è ſubiecto uno migrat in aliud ( experimur enim ſi tantiſper pomum manu contineatur, ex pomo in manū odorem transfundi) nil igitur prohibet eſſe accidens abſq; ſubiecto, in quo hæret. Hæc ita ſoluēda ſunt.* Secundæ *ſubſtantiæ ſunt in primis, ita ut earum naturam compleant atq; perficiant, non eo modo ſunt accidentia in ſubiecto.* Forma *autem bouis tametſi corporis ac materiei non ſit pars, eſt tamen pars totius conſtituti.* Iam *quæ ſunt in loco aut tempore, in his non inhærent, aut in eis exiſtunt : ſed dicuntur in loco eſſe, quia circunſcribantur loco, in tempore uerò, quòd menſurentur tempore.* Quod *ad ultimam obiectionem attinet, principij loco habendum eſt, idem accidens numero nón poſſe ex re una ſubiecta in aliam transferri.* Odor *igitur qui ex pomo in manu relinquitur, idem numero non eſt, ſed ſpecie tantùm.* Ita *relinquitur finitionem rectam eſſe, & in ſubiecto eſſe, ſolius accidentis eſſe proprium.*

*Obiectio prima.*

*Obiectio ſecunda.*

*Tertia obiectio.*

*Quarta obiectio.*

*Soluūtur ordine*

De his quae dicuntur.

CAP. VII.

TRaditur hoc loco praeceptio quedam ac regula, quae quis sit dicendi modus in his, quae sunt eiusdē Categoriae, declarat. Ea est huiusmodi. Quando attributum aliquod de subiecto aliquo effertur secundum substantiam, quicquid attributo secundum substantiam cōuenit, dicitur etiam & de subiecto. Itaq; cùm de homine animal necessariò dicatur, de animali autem superiora omnia eodem modo enuntientur, uiuens corpus, substantia, ista quoq; necesse est homini conueniant.

*Regula usus.* Regula hoc pacto intellecta, facile est argumentationis illius errorem deprehendere, qua ita obijciunt, animal de homine dicitur, & de animali genus, cùm tamen genus homini non conueniat: falsa igitur praeceptio. In hac quod regula praecipit, non obseruatur; nam esse genus accidit attributo. Regula haec quo pacto in ratione dicendi affecta sint, quae sunt in eadem Categoria, demōstrat: quorum hanc esse habitudinem & cōnexionem intelligimus, ut superiora omnia de inferioribus dicantur, summùm genùs non solùm proximis formis, sed ultimis, & rebus quoq; singulis accommodetur. Quòd enim substantia de corpore dicatur, cui proximè haeret, dubium non est: quòd autem uerè de homine, boue, Petro, & singulis hominibus poßit enũtiari, cùm inter illa multa intercipiantur, non est usque adeò manifestum. Quod tamē ita sese habere, ui huius regulae certißimè probatur.

*Regula altera.* Possumus ex hac alteram constituere ad ea, quae sunt diuersorum generum pertinētem. Quando attributum aliquod inest alicui subiecto, quae de attributo secundum substan-

*substantiam efferuntur, insunt etiam in ipso subiecto: ut iustitia inest homini, de iustitia autem dicitur uirtus, dicitur habitus: quare & ista necesse erit in homine tanquam in re subiecta inesse.*

De Generibus *diuersis, & his quorum unum altero continetur.*

CAP. VIII.

Q*Vid differant, quæ in diuersis Categorijs collocantur, & quid habeant commune, quæ sunt eiusdē generis, hoc (ut uocant) Antepraedicamentum aperté docet.* Diuersorum *generum, quorum unum ab altero non continetur, diuersæ sunt specie differentiæ.* Genera *diuersa, quorum unum ab altero non continetur, hoc loco appellantur, quæ sunt in diuersis Categorijs: ut animal & scientia, quæ ad tertium commune genus non possunt reuocari. Illa uerò, quorum unum de altero effertur, sunt sub se inuicem posita, ut animal & auis, quæ uulgò subalterna dicuntur. Illa igitur diuersas habent specie differentias & constituentes & diuidentes.* Nam *differentiæ, quæ animalis substantiā perficiunt ac complent, sunt corporeū, animatum, sentiens, quæ uerò eandem diuidunt particeps rationis & expers: quarum nulla ad scientiam potest aliquo modo pertinere.* Pars *illa specie idem significat quod re & natura: fieri enim potest, ut quæ in diuersis Categorijs collocantur, differentias habeant uoce easdem, non re & natura.* Si *quidem habere pedes differentiā est animalis & domestici instrumenti, uoce quidem una, re autem multiplex.* At *genera, quorum unum ab altero continetur, nil prohibet ijsdem differentijs constitui & diuidi.* Quæ *enim dif-*

 *ferentia*

ferentiæ cōponunt animal, eædem constituunt auem: & pasci herbis, seminibus, carnibus, utrūq; genus diuidūt. Cæterum differētiæ efficiētes formarum, in omnibus huiusmodi generibus eædē sunt. Nā quæ superius cōplēt, id quoq;, quod inferius est, componūt. At diuidētes nō sunt in omnibus eædem. His adiecit Aristo. diuisionē entis in decē summa genera: quorum nomina sunt substātia, quātitas, quæ cū aliquo cōparātur, qualitas, in loco, in tempore, sitū esse, habere, agere, pati. De qua id tātum dixisse hoc loco sat fuerit, non esse diuisionē, sed enumeratione, cùm sit entis nomē homonymū de eorū numero, quæ ab uno & ad unum dicuntur.

*Entis distributio verius est enumeratio.*

De Substātia prima Categoria. CAP. IX.

Absoluimus primā huius tractationis partem, quā uulgò Antepraedicamenta inscribunt: nunc de singulis generibus differendum est. Ac primum de substantia, quoniam accidentibus prior est naturæ ordine, & dignitate longè antecellit. Explicanda autem ista sunt, cùm diffinitione essentiali careant, enumeratione proprietatum, utendumq; est eo diffinitionis genere, quod rem per accidentia declarat. Sed primùm distinguenda est homonymia substantiæ: quod nomen bifariam dicitur. Primùm qua id omne complectitur, quod alteri non accidit: in qua significatione sumitur cùm id quod est in substantiam & accidens distribuitur. Est quoq; paulò contractiùs, eas tantùm substantias comprehendens, quæ in recta serie collocantur: qua ratione sumptū solis conuenit formis, generibus, & rebus singulis. Communis substantiæ ac latissimè patentis diffinitio hæc esse potest: Quæ per se subsistit & alio non indiget, ut

*Quis explicandi modus his cōueniat.*

*Substātia bifariā dicitur.*

*Substātiæ finitio.*

sit.

*sit. Cuius posterior pars priorem interpretatur, & hunc sensum reddit: non indiget alio ut sit, tanquam subiecto, id enim solius Accidentis proprium est. Substantia causis & partibus eget, quibus è medio sublatis interire & ipsam protinus est necesse. Subiectum autem in quo hæreat nullum desyderat, cùm sit ipsa aliorum omnium substerniculum. Prima substantiæ diuisio est in primam & secundam. Substantia prima appellatur, quæ singularis est, quæ nec de subiecto ullo dicitur, nec in subiecto ullo est: ut hic homo, hic equus. Dicta autem prima est, quòd primum nobis occurrat, & ex ea uniuersa substantia colligatur. Secundæ autem substantiæ uocatur genera & species, in quibus primæ continentur: ut animal, homo. Posteriori parte reijciuntur accidentia, quorum alia genera sunt, alia species: Sed nomen substantiæ secundæ uendicare sibi nequeunt, cùm primas substantias suo ambitu non complectatur. Quæ aduersus hanc diuisionem de differentijs & substantiæ partibus obijci possunt, quæ cùm substantiæ sint, nec primæ nec secundæ rationem suscipere posse uidentur, soluuntur ex diuisione, seu potius distinctione substantiæ nominis, de qua paulò ante diximus, quòd cùm in primam & secundam distribuitur, eam dumtaxat complectitur substantiam, quæ in recta serie collocatur. Ita fit, ut nec materiæ, nec substantiæ partibus, nec differentijs conueniat. Substantiæ proprietates, quas communitates ueriùs liceret appellare, multæ sunt: quæ idcirco proponuntur, ut per eas in cognitionem substantiæ & eorum, quæ huius sunt Categoriæ, quasi manu ducamur. Prima est, substantia nō est in subiecto. Id autem diuisione*

*Substātiæ diuisio.*

*Obiectiones soluuntur.*

*Prima proprietas.*

bus dicitur, secundum magis aut minus tribuatur. Ac in primis quidem substantijs id manifestum est, cùm de nullo dicantur. In secundis quoq; id uerum esse hinc apertè colligitur, genera formis ex æquo tribuuntur: non enim homo magis aut minus animal dicitur, quàm bos, equus, aut quæuis alia forma. Species etiam rebus singulis eodem modo conueniunt: ut homo particularibus hominibus, quorum unus alio magis uel minus homo non dicitur. Hæc non ita substantiæ propria sunt, quin & alijs quoq; insint permultis. Nam nec quantitas magis aut minus suscipit, nec est quicquam quantitati contrarium. Quòd uerò sequitur ad solam substantiam uidetur pertinere, ut cùm sit una atq; eadem numero, mutatione sui ipsius poßit accipere contraria. Idem enim homo, nunc morbo afficietur, nunc ualetudine, nunc calore, nunc frigore: quæ cùm in se recipit commutatur. Alia à substantia contraria quoq; suscipiunt: ut oratio uerum & falsum: sed sine sui mutatione. Re enim sola mutationem subeunte oratio nunc uera dicitur, nunc falsa: ut ea quæ enuntiat sedere Socratem, Socrate sedente, uera est: surgente uerò falsa, cùm ipsa una & eadem perpetuò maneat atq; immutata. Sexta proprietas.

Quibus locus non pateat in Categorijs CAP. X.

QVi nouerit ex ijs, quæ de substantia diximus, quid ipsa sit, facilè poterit re quauis proposita, sit huius Categoriæ, nec ne, dijudicare. Cæterùm quoniam cognitio huiusmodi generalis est, quam rebus singulis accõmodare, non est omnino facile, curabimus, qua fieri poterit breuitate, quæ ad singulas Categorias referantur, percensere. Sed in primis, ne in redigẽdis rebus ipsis ad pro

*pria genera decipiamur, quæ arcenda sint penitùs à Categorijs demonstrabimus: mox uerò quæ in primam hāc sese recipiant substantiæ Categoriā ostendemus. Illud autē adductis in medium aliquot præceptionibus, ut cōmodiùs percipi poßit, exequemur.* Prima præceptio. *Nulla uox cōposita, nisi loco simplicis accipiatur, poteſt in Categorijs collocari: cuius generis sunt homo iuſtus, prudēs Philosophus, rex potens: & quæ sunt sola uoce composita, ut diffinitiones uim rei & substantiam explicantes. Adiecimus autem, nisi loco simplicis accipiatur, quia inopia simplicium uocum sæpenumero cogimur uocibus multis unius loco uti. Ita animatum corpus, coniuncta Quantitas, quæ diffinitiones sunt, genera appellantur, quòd scilicet, ijs uocibus, quæ uere genera sunt, & nomine uno carent, significentur. Secunda præceptio, omnis, nullus, & quæ à Dialecticis syncategoremata appellantur, locum nullum habent in Categorijs. Nil enim significant, & ex ijs uocibus solis constitutæ illæ sunt, quæ rem aliquam notant. Itaque ex octo Orationis partibus, quas Grammatici constituunt, nomini & uerbo solis locus patet in Categorijs: complectimur autem sub nomine aduerbium, sub uerbo participium. Tertia præceptio, uoces significantes, quæ tamen rerum impoßibilium notæ sunt, in Categorijs non collocantur: cuiusmodi sunt Cerberus, hircoceruus, mons aureus, uacuum, infinitum, & his similes. Quarta præceptio, uoces homonymæ in Categorijs nō recipiuntur, nisi deposita homonymia ad rem unam significandam arctentur. Huius regulæ rationem reddidimus, cum de usu homonymorum ageremus. Quinta præceptio, dictionibus rem immensam & infinitam*

[Marginal notes: Prima præceptio; 2. precep.; 3. precep.; 4. precep.; 5. precep.]

tam notantibus, & ijs, quæ suo ambitu omnia comple-ctuntur, locus nullus est in Categorijs. Ita quæ uulgò transcendentia dicuntur, res, aliquid, ens, unum, uerum, bonum, nomen quoq; Deus, & quæ Dei Optim. Maxi. sunt propria, aliena sunt, reiectaq; à Categorijs. Vltima præceptio, nominum duplex est differentia, alia sunt primæ positionis, alia secundæ. Primæ positionis uocantur, quæ rebus ipsis indita fuerunt: cuius generis sunt uocabula, quibus uulgus hominum paßim utitur in exprimendis animi notionibus; & quibus utimur in disciplinis, tũ Naturalibus, tum Moralibus, & Mathematicis. Secundæ autem positionis sunt uocum nomina, aut rerum, quæ subsunt animi notionibus; quæ etiam à Dialecticis nec absurdè secundæ notionis dicuntur: sub quo genere comprehenduntur ea fermè omnia, quæ à Dialecticis docentur, Genus, Species, Subiectum, Attributum, Nomen, Verbum. Hæc sic appellata esse Seuerinus Boëtius scribit, quòd qui uocabula instituerunt, primùm rebus ipsis nomina indiderunt. Deinde cùm uiderent necessarias fore artes aliquas, per quas disceremus & sciremus rectè uti illis nominibus iam positis, consideratis diligenter illorum figuris & proprietatibus, secundo loco ipsis nominibus alia rursus nomina adaptarunt: unde meritò factum est, ut illa primæ positionis uocentur, hæc uerò secundæ. Cùm sit igitur hæc uocum diuersitas, in Categorijs illæ tantùm recipientur, quæ sunt rerum notæ, & primæ positionis: has enim solas in certa genera reuocare statuerunt, qui Categoriarum ordines excogitarunt. Nomina uerò secundæ positionis reiecta sunt à Categorijs.

Vltima præceptio.

## Quot modis res locum habeant in Categorijs.

### CAPVT XI.

*Categoriæ nomine intelligi diximus non solùm genus, sed ordinem generum & formarum: quorum alia subijciuntur alijs, & alia de alijs dicuntur.* Reperiuntur autem in eadem Categoria ordines permulti: ut in *substantia, quos subiectum indicat ac proponit schema.*



*In Categorijs igitur bifariam aliquid locum habet: aut per se, aut per aliud. Per se collocantur, quæ constituuntur in recta aliqua serie: cuius generis sunt genera omnia, species, & res singulæ: ex quibus ordines ipsi constantur. Quæ uerò per aliud in multiplici sunt differetia. Primùm inter hæc sibi locum uendicant differentiæ, quæ tametsi in recta serie non recipiãtur, eius tamen sunt Categoriæ, cuius formæ, quarum substantiã perficiunt. Deinde partes ad Categoriam & genus totius referuntur: ut materia, forma, caput, pes, manus, ad Categoriã substantiæ, quia quod ex his conflatur ad eandem se recipit. Iam quæ non sunt partes, sed principia, in eo genere collocantur, in quo illa continentur, quorum sunt principia: ut punctus, & unitas in quantitate, eius enim generis sunt linea, & numerus: quorum alterum ab unitate incipit, alterum à puncto. Præterea motus ad eam Categoriam reuocatur, in qua constituitur motus terminus, siue quod motu acquiritur: ita ortus, interitus, quia substãtiæ sunt, substantiæ attinent: Accessio, & decessio quantitati: commutatio Qualitati: loci mutatio Categoriæ loci. Postremò priuatio ad eam Categoriam quodammodo spectat, cuius est habitus: quam multi prorsus ab his esse reiectã arbitrantur, rectè sanè iudicantes, si eius ratio sola habeatur, quâ nihil est, ac sola carentia. Diffinitio quatenus composita uox est, aliena est planè à Categorijs. Partes tamen, ex quibus conflatur genus, & differentia in his collocantur: quarum gratia ad easdem attinere, uerè censebitur.*

*Modi duo quibus res collocantur in Categorijs.*

## *Quas uoces Categoria substantiæ complectatur.*

CAPVT XII.

OMnis substantia, modò perfecta sit, hoc est, partis rationem non habens, huius est primæ Categoriæ. Hoc generale præceptum est, quod in gratiam eorũ, qui naturas rerum nondum perspectas habent & exploratas, in ea, quæ sunt specialia, diducemus. Principio nomen omne substantiam significans corpore carentem huius est Categoriæ: ut spiritus, angelus, dæmon, anima rationis particeps, cùm est à corpore separata. Deinde omne nomen corpoream substantiam significans simplicem, ad hanc eandem pertinet: ut cœlum, cœlestes omnes orbes, planetæ, stellæ, elementa omnia, ignis, aër, aqua, terra. Mundi quoq; nomen totius uniuersitatis ad eandem refertur. Iam nomina rerum uita carentium, quæ mixta uocantur, siue perfecta sint, siue imperfecta, in hac Categoria locum obtinent. Perfecta mixta sunt, lapides, gemmæ, adamas, magnes, marmor, smaragdus, carbunculus: item metalla & fossilia: aurum, argentum, æs, ferrum, sulphur. Imperfecta uocantur Meteora, quæ in aëre gignuntur: cuiusmodi sunt uapor, exhalatio, pluuia, nix, grando, uentus, fulmina, æges, dali: & constitutiones aliæ tam igneæ, quàm aqueæ. Præterea omnis animalis species ad hanc sese recipit Categoriam: ut pecus, bestia, fera, piscis, auis, serpens, uermis, & quæ sub his continentur, bos, equus, ouis, capra, leo, ursus, tigris: balena, cancer, gobio, delphinus: aquila, psithacus, perdix: draco, uipera, basiliscus: apes, araneus, bombix: homo præstantissimum omnium animalium, & singularia sub his omnibus formis comprehensa. Nomina omnia arborum, herbarum, fruticum in hac collocantur: ut pomus, malus, pyrus: malua, lactuca, urtica: nardus, myrrha. Appellatur

autem frutex, qui ad iustam arboris magnitudinem non assurgit, & statura similis est herbis multis, sed non demoritur, neq; arescit, ut herba, uerùm perennis est. Nomina florum, fructuum, aromatum, in ordine huius sunt Categoriæ: ut rosa, lilium, uiola: pomum, malum, pyrum: saccharum, cinnamomū, piper, & id genus reliqua. Frumentorum quoq; & leguminum nomina huic atttinent: ut triticum, far, ordeum, lens, lupinus. Nomina montiū, marium, fluuiorum, fontium, regionum, ciuitatum, oppidorum ad hanc Categoriam substantiæ pertinent: ut Apenninus, Oceanus, Turia, Arethusa, Hispania, Valētia, Alcodium. Liquorum nomina huius quoq; sunt Categoriæ: ut uinum, lac, mel, sanguis, pituita, bilis. Hæc fermè sunt, quæ prima substātiæ Categoria cōprehēdit, & quæ sub his cōtinentur. Nunc ad alias explicādas accedamus.

## De Quantitate.

### CAP. XIII.

SVbstantiæ unum tantùm genus est, Accidentium nouem: inter quæ primum sibi locum quantitas uendicat. Cui rei fidem in primis facit Mathematicorum consideratio, qui quantitatem à cæteris omnibus auulsam contemplantur. Prætereà in substantiam priùs Quantitas cadit, quàm Qualitas, aut aliquid ex aliis Accidentibus. Non enim omnis res, simul atq; est, aliquam accipit Qualitatem: cùm tamen sine quantitate nil esse posit. Necesse enim est, statim unum esse, uel multa. Est etiam alia ratio, cur quantitas post essentiam sit collocanda; quòd similitudine quadam maxima sint inter se apta atque coniuncta. Nam quemadmodum substantiæ nil est contrarium, ita & quātitati. Illa magis aut minus

*Quare priùs de quātitate quàm de reliquis agendū sit.*

non

non suscipit. Quantitas quoq; nec amplificatur, nec minuitur. Quantitas essentialem diffinitionem non habet. Potest autem ita describi: Quantitas est, quæ per se diuiditur in partes, aut succeßionis, aut extensionis, aut discretionis. Succeßionis partes sunt, temporis partes & motus. Non enim permanent, sed sunt in quadā succeßione positæ, ut duæ simul non coëxistant. Extensionis partes habent linea, extremitas, corpus, locus. Discretæ partes sunt, ex quibus constat numerus, & oratio. In has partes quantitas ex se diuiditur, cætera gratia quātitatis. Differentiæ quantitatis duæ sunt, per quas diuiditur, coniuncta quantitas, & deiuncta. Cōiuncta quantitas est, cuius partes terminum communem habent, quo iunguntur: ut linea. Deiuncta uerò cuius partes carent communi aliquo termino: ut numerus binarius: qui conflatur ex duabus unitatibus, seiunctis omnino ac separatis. Cōmunem terminum uoco, qui ad utrāq; partem earum, quas coniungit, quodammodo pertinet, est enim unius finis, alterius principium. Cōiunctæ quantitatis formæ sunt, linea, extremitas seu librametum, corpus, tempus, locus. De quibus agere partim Mathematici, partim Naturalis officium est. Nos horum tantum diffinitiones proponemus, exactior cognitio ab illis petetur. Magnitudinis principium punctus est. Punctum autem definiunt, cuius nulla est pars, situm tamen habet in coniuncta quātitate: qua postrema parte ab unitate separatur, quæ cùm res sit indiuidua, in magnitudine non collocatur. Ex fluxu pūcti lineam fieri fingunt Mathematici, ut uel sic lineæ naturam explicent cōmodiùs. Linea est magnitudo sola longitudine affecta, quæ pun-

*Descriptio quantitatis.*

*Diuisio quātitat.*

*Quid cōmunis terminus.*

*Quid punctus.*

*Linea*

ctis clauditur. Extremitas est, quæ duabus dimensionibus continetur, longitudine & latitudine, craßitudine autē caret. Corpus perfectißima magnitudo ex tribus constat, lōgitudine, latitudine, craßitudine. Mathematicum corpus hìc intelligendum est, in quo sola spectatur magnitudo ab omni materia seiuncta. Nam alioqui nomen corporis quâ substantiam significat quantitati subiectam, in Categoria substantiæ collocatur. Locum diffinit Aristo. extremitatē ambientis corporis. Tempus uerò succeßionem quandā partiū motus primi cœli. Harū omniū quātitatū partes communem habent terminū, quo connectūtur. In linea punctū communis est partiū terminus. Si enim diuidatur linea, ex eius diuisione singula in extremo utriusq; lineæ pūcta redduntur. Ex quo utraq; puncta simul fuisse ante diuisionem, intelligentur, quæ sunt in diuisione separata. Extremitatis cōmunis terminus est linea, quod eadem ratione demonstrari potest. Siquidem diuisa duas per singulas partes lineas efficiet: quemadmodum linea diuisa, singula in utroq; extremo puncta reddebantur. Corpus quoque si diuidatur, duæ extabunt extremitates, quibus ante diuisionem corporis partes iungebantur. Loci partes linea definiuntur, & cohærent, cùm sit re ipsa idem, quod extremitas. Temporis partes terminum communem habent momentum, seu quod instans est tempus. Est enim instans præsenś tempus præteriti & futuri communis terminus, cùm sit alterius principium, alterius finis. Hæc uerò non ita sunt accipienda, ut lineæ pars punctum esse, aut extremitatis linea, aut corporis extremitas, aut temporis quod indiuiduum est, censeatur. Fieri enim non potest, ut communis terminum

Extremitas

Corpus.

Locus.

Tempus.

*minus pars sit rei , quam definit.* Reperitur etiam *in communi termino, minorem semper ipsum esse dimẽsione una re, cuius terminus est.* Ita *linea, cùm sit terminus extremitatis, quæ duabus dimensionibus comprehẽditur, ex una tantùm constat, longitudine.* Punctum *uerò, quia extremum est lineæ, diuidi nullo modo potest.* Deiunctæ *quantitatis species sunt, numerus, & oratio.* Numerus *hic intelligitur, non qui numerat (is enim est animus) nec qui numeratur, (quæ enim numerantur res ipsæ sunt) sed instrumẽtum, quo animus numerat : quem definiunt multarum unitatum collectionẽ : ut binarius, ternarius, unitas autem est, res indiuidua, quæ in magnitudine non collocatur, & permanet.* Quibus *posterioribus partibus à puncto & momento temporis separatur: quorum alterum in successione positum est, alterum in magnitudine cernitur.* Orationis *nomine non ipsa uox, aut sonus intelligi debent : hæc enim ad qualitatem spectant, sed syllabarum longarum breuiumq; modulatio, quorum singulæ separatæ sunt, & diuersas habent temporum mensuras.* Vnum *hoc superest animaduertendum, quod ad coniunctæ quantitatis formas spectat, locum & extremitatem, tametsi res sint una atq; eadẽ, diuersas constituere quantitatis formas propter diuersas, quibus ad substantiam affecta sunt, comparationes.* Eadem *enim corporis extremitas, ut uasis, ad rem subiectam, cui inhæret, extremitas appellatur: corpori uerò quod complectitur, ac circunscribit, comparata locus dicitur.* Est *& altera quantitatis diuisio longè à superiori diuersa in eam, quæ positionem habet partium; & eam, quæ caret partium positione.* Ab *illa autem*

Numerus.

Oratio.

Altera diuisio quantitatis.

*autem distinguitur, quòd hæc rei sit subiectæ in accidentia: illa uerò generis quemadmodum diximus, per differentias. Prioris generis sunt illa, quarum partes coniunctæ sunt ac cohærentes, alicubi sitæ, & non in successione positæ. Ita quatuor tantùm quantitatis formæ positionem habent partium, linea, extremitas, corpus, locus. Harum enim omnium partes sunt cohærentes, & communem habent terminum, permanent quoq; & sunt alicubi sitæ. Nam posita linea, aut quouis eorum, dicere poßis, ubi quæq; pars eius sita collocataq; sit. Reliquæ numerus, tempus, & oratio carent situ partium. Orationis enim ac temporis partes nusquam manēt: sed perpetuò fluit. Numeri uerò partium nullus est communis terminus, quo connectantur, & ubi sint sitæ, nemo possit ostendere, habent tamen temporis & numeri partes ordinem quendam inter se. Proprietates quantitatis sunt tres. Prima, quantitati nihil est contrarium. Non enim lineam lineæ, nec numerum numero contrarium dicere solemus, ac sic se res habet in cæteris. Quòd si recta linea obliquæ, aut locus superus inferiori contrarius dicatur, his ista conueniunt, non quâ quantitates sunt, sed qua contrarijs qualitatibus afficiuntur: quemadmodum & de substantijs, hoc est, elementis paulò ante dicebamus. Secunda, quantitas nō suscipit magis aut minus. Non enim linea unā magis linea est altera, aut numerus unus magis uel minus numerus altero. Maior quidem numerus alter altero dicitur, magis autem numerus non dicitur. Ista ita quantitati conueniunt, ut ad substantiam etiam pertineant: quod uerò sequitur solius quantitatis est proprium, ut eius gratia res æquales dicantur aut inæquales. Quantitati ista primum conueniunt,*

*Prima proprietas*

*Secunda proprietas*

*Tertia proprietas.*

ueniunt, cæteris autem media quantitate: homo homini æqualis est, quòd ex æquali constet magnitudine. Exercitus unus æqualis alteri, quòd utrumq; idem numerus metiatur. Sunt in hac Categoria, quemadmodum & in substantia, ordines etiam permulti, qui ab eodẽ principio & capite omnes proficiscuntur, summo genere; quorum bonam partem continet subiectum schema.




Quæ

## Quæ uoces in Categoria quãtitatis collocentur.

### CAPVT. XLIII.

EX subiecto schemate intelligi possunt, quæ sunt huius Categoriæ, sed ut facilius illa capiant tyrones, quod in præcedenti Categoria executi sumus, quæ ad hanc pertinent percensebimus. Nomina omnia magnitudinis sunt huius Categoriæ: ut linea, superficies, corpus, longitudo, latitudo, craßitudo, bicubitum, tricubitum, pedale, bipedale, tripedale, & quæ sunt his similia. Nomina mensuræ huic categoriæ attinent: huiusmodi sunt, digitus, palmus, pes, ulna, cubitus, paßus, modius, sextarius, hemina, cyathus: as, & partes aßis, sextans, quadrans, triens, modò solam notent quantitatem. Pondus & ponderis nomina quantitatem simul & qualitatem uidentur indicare, quod synonymè fieri non potest. Hoc modo sumpta, reiecta sunt à Categorijs. Quòd si quã solius quantitatis notæ sunt accipiantur, ad hanc pertinebunt: ut libra, bilibris. &c. Nomina numeri principalia, & distribuentia, huius sunt Categoriæ, ut unũ, duo, tria, bini, terni. Quæ uerò sunt ordinis, aut multiplicantia, cõparationem significãt potius, quã quãtitatem, cuius generis sunt, primus, secundus, duplus, simplus. &c. Nomina pedum, ut Dactylus, Spondeus: nomina carminum, ut Hexametrum, Pentametrum: ea quoq; quibus, rythmi harmonici significantur, ut diapente, diatessarõ. deniq; modulus omnis, quo dictionem, quam proferimus, mensuramus, ad hanc spectat Categoriam, & sub oratione continetur. Locus quoq; & tempus ad eandem referuntur. Sunt autem temporis partes, annus, dies, mensis, hora, olympias, lustrum, seculum, & reliqua omnia, quæ tempus significant.

## De his quæ cum aliquo conferuntur.

CAP. XV.

Quare de quātitate prius agatur.

QValitas natura prior est relatione. Nititur enim illa relatio, & ex ea nascitur. Sed cùm in explicāda quantitate relatorum mentionem fecisset Aristotel. usus arbitraria methodo, quæ postulat ut ea quamprimum fieri commode poßit explicemus, quæ ad præcedentium, aut sequentium plenam perfectamq; cognitionem conferre plurimum pernoscuntur, priori loco de his disputat, quæ ad aliquid affecta sunt: à quo ordine non recedemus. In hac Categoria, quemadmodum & cæteris omnibus accidentium generibus, duo cernuntur, paronymum, & forma denominans: ut relatum, & relatio: his enim uocibus uti quoq; nobis licebit. Vtrunq; quid sit diffinitione aperiendum est: sed à forma sumemus initium. Relatio comparatio quædam est, & habitudo rei unius ad alteram: ut similitudo, æqualitas. Hæc ab alijs accidentibus, quæ sine comparatione dicuntur, uulgoq; absoluta uocantur, præter alias multas dißimilitudines, hac differentia separatur: reliqua subiecto tātùm indigent, ut sint: ut album, nigrum: Relatio uerò præter subiectum, terminum (sic enim uocant) desiderat, & aliquid ex alijs Categorijs, quo nitatur, ex quo quodammodo nascitur: Relatiōis causam appellare possumus, quod fundamentum, nec abre dicere soliti sunt. Relationis terminus seu extremum id dicitur, in quod desinit relatio: ut eius, quæ patris est ad filium, filius extremum est ac terminus, in ipsum enim desinit ac finitur. Causa relationis uocatur, cuius gratia relatio intercedit, qua sublata, funditus euertitur: ut similitu-

Relatio quid & à cæteris quo distinguatur.

Relatiōis terminus.

Relatiōis causa.

dinis causa est eadem qualitas: æqualitatis, eadem quantitas. Illa enim sola similia uocamus, quæ sunt eadẽ qualitate affecta. Illis æqualium nomen accomodatur, quæ eiusdem sunt quantitatis; & his è medio sublatis, nec æqualia ulla dicentur, nec similia. Quot autem sint causæ relationis, ac quæ sint, quinto Metaph. docetur, & alio loco tractabitur ex professo, una cum his quæ de formis relationis afferuntur. Nunc quænam sint relata dicamus. Duplex traditur ab Aristo. relatorum definitio, altera communis ac latiùs patens, quàm postulat ratio huius Categoriæ: altera propria eius generis. Communis ad hũc modum sese hebet: Relata sunt, quæ aliorum dicuntur, aut quoquomodo aliter cum aliquo conferuntur. Cuius diffinitionis sensus ex diuisione relatorum patebit. Relata alia casu aliquo ad seinuicem referũtur: ut pater & filius, dominus & seruus: alia sine casu, ut paruum & magnum. Non enim magnum parui magnum dicitur, aut paruo magnũ, sed ad paruũ. Quæ prioris sunt generis, alia casu dicuntur eodem, ut pater & filius. Nam & patrem filij patrem dicimus, & uicissim filium patris filium. Alia diuersis casibus, cuiusmodi sunt scientia, & res quæ sub scientiam cadit. Est enim scientia rei scientia, at quod scitur scientia sciri dicitur. Hæc omnia diffinitione comprehensa sunt. Prior pars ad ea, quorum habitudo casu aliquo explicatur, uidetur pertinere: altera, quæ sunt posterioris generis, complectitur. Sub hac diffinitione multa continentur, quæ sunt aliorum generum. Scientia enim qualitas est, & sub definitionem cadit. Quapropter meritò illam Arist. emendauit, & alteram proposuit ijs, quæ uerè ad

Cõmunis relatorum finitio.

hanc Categoriam spectant, ex æquo respondentem. Ea est huiusmodi. Relata sunt, quorum uis & natura in sola habitudine ad alterum posita est: ut pater & filius, dominus & seruus: quæ nomina solam habitudinem notant, qua res una ad alteram affecta est. Ita fit ut alterũ in definitiõe alterius uicißim collocetur: est enim pater, fily pater, filius patris filius. Quo argumento naturam positam habere in sola comparatione cõprehenduntur.

Propria definitio.

Proprietates relatorum sunt, prima, relatis, est aliquid contrarium. Quod non ita est accipiendum, ut quæ inter se sunt relata, sint etiam inter se contraria. Id enim fieri non posse ex eo constat, quòd contraria simul in eadẽ re non insunt: relata uerò eidem conueniunt diuersis comparata. Erit igitur proprietatis sensus, relato alicui aliquid esse contrarium, non id tamen ad quod dicitur: ut sciẽtiæ, quæ ad rem scientia comprehensam refertur, contraria est ignorantia.

Prima proprietas.

Secunda proprietas, suscipiunt relata magis & minus. Nam simile corpus unum altero magis dicitur & minus: & quod dißimile est dißimilius, ac minus dißimile. Proprietas hæc seu uerius cõmunitas relatis non ex ui sua conuenit: non enim relatio contentionem suscipit, aut remißionem: sed id accipit ex causa & principio, à quo proficiscitur. Itaq; quorum causa magis aut minus recipit, in his quoq; magis & minus reperitur: cuius generis sunt quæ diximus simile, dißimile, quæ qualitate nituntur, qualitas autẽ contentionem capit ac remißionem. Quorum autem causa & (ut uocant) fundamentum hoc modo non effertur, expertia quoq; contentionis sunt & remißionis. quamuis non ignoro multorum esse sententiam, relatio-

2. Proprietas.

nem ex ui sua contendi atq; remitti: atq; ista non aliunde trahere: cùm iudicio. Aristo par & impar magis & minus suscipiant, quæ quantitate nituntu , in qua diximus magis & minus non reperiri. Sed uerior prior est sententia. Arist. uerò in pari & impari magis ac minus appellat maiorem aut minorē quantitatum consensum, non contentionem aut remißionem. Tertia proprietas, relata simul sunt naturæ ordine: ut dominus & seruus. Simul enim atque dominus est, seruus est: & si seruus sit, dominum esse necesse est. Id (quemadmodum, & quas diximus hactenus communitates) in plerisque uerum est, in alijs non item. Nam scientia & quod sub sciētiam cadit, non sunt simul, sensus itidem & quod sensui subijcitur: nam nec sublata scientia, res tollitur, quæ sciētia comprehenditur, nec sublato sensu, protinus rem sensui subiectā auferri necesse est. Certè in omnibus quæ uerè relata sunt, & solam indicant comparationem uerum est, ut sint naturæ ordine simul: in his uerò quæ secundo loco habitudinem notant, nec sunt huius Categoriæ, non omnino uerum est, quod ex subiectis exemplis perspicuum euadit. Quarta proprietas, relata omnia reciprocantur: uelut seruus domini seruus, uicißimq; dominus serui dominus dicitur. Reciprocatio hæc omnibus conuenit, quæ sunt in hoc genere, modò id ad quod dicuntur, rectè aßignetur. Fit enim quandoque ut reciprocari non uideantur, propterea quòd non accommodatum ad id quod dicitur, uerbum exprimitur. Vt si quis pennam auis esse dixerit, non uicißim dicat, auem pennæ esse: cùm auis non uerè sit id ad quod penna refertur, sed penniger. Quo aßignato, fit quidem

Tertia proprietas

Quarta proprietas

mutua reciprocatio. Velut penna pennigeri penna, uicißimq; penniger penna penniger. Vltima proprietas, qui certò sciet aliquid eorum, quæ in hoc genere sunt, necesse est etiam illud, cum quo confertur, probè intelligat. Quod hinc intelligi potest. Tunc certò scitur res, quando ipsius diffinitio cognita est: at ea est relatorum natura, ut unum in definitione alterius collocetur: ergo altero probè intellecto, necesse est pariter & alterum cognoscatur.

Vltima propriet.

## De his quæ sunt huius Categoriæ, CAPVT XVI.

EA quæ de ordinibus Categoriarum diximus, ex duobus subiectis typis Substantiæ & quantitatis satis exactè intelliguntur: in reliquis sat fuerit, quæ ad unumquodq; genus sese recipiunt, percensere. Omnis uox, quæ nil aliud præter relationem & habitudinem primo loco ac præcipuè significat, huius est Categoriæ: cuiusmodi hæc sunt, pater, filius, auus, nepos, maritus, uxor, socer, gener, magister, discipulus, patronus, cliens, duplum, dimidium, magnum, paruum, maius, minus, æquale, inæquale, prius, posterius, amicus, inimicus, ciuis, socius, sodalis, hostis, & alia his similia propemodum innumera. Nomina omnia numerandi, quæ ordinis uocantur, aut multiplicātia, ad hanc pertinent Categoriam: ut primus, secundus, tertius. &c. Simplus, duplus. Nomina proportionis, & ea omnia quæ rationis & analogiæ formas indicant atq; notant, huic Categoriæ attinent: cuiusmodi sunt, dupla, tripla, quadrupla, sesquialtera, sesquitertia, superparticularis, superpartiens. Cognationis nomina & affinitatis ad hanc se recipiunt, quorum quædam anteà attigimus: ut frater,

frater, soror, consobrinus. Illa quoq; permulta quæ cum præpositione componuntur, in hac locum habent: qualia sunt, conuictor, coadiutor, condiscipulus, cōterraneus, confabulator, & alia sexcenta, quæ omnia persequi non est huius loci ac temporis: cùm præsertim cætera omnia, quibus locus patet in hac Categoria, ex his quæ proposita sunt, studiosus quisq; facilè poßit agnoscere.

## De Qualitate.

### CAPVT XVII.

Qualitatis nomen homonymum est iudicio Aristo. Dicitur enim differentia qualitas, dicitur quoque & candor. Sed illa substantialis est, quoniam percontanti qualis sit res secundum substantiam aptè respondetur, hæc uero accidētaria, cùm ad rei subiectæ, de qua dicitur, uim & naturam non pertineat. A nobis de qualitate disputatur, quâ accidentis nomen est, non differentiæ. In qua explicanda eadē seruabitur methodus, ut descriptione proposita, mox formas subiungamus, & communitates. Qualitas est, à qua res qualis dicitur: ut candor, Grāmatica. A candore candidi dicimur, à Grammatica Grāmatici. Hic quia quale paronymum ipsum qualitate notius est, quid qualitas sit, forma scilicet, per quale paronymum explicatur. De numero formarum, quas sub se complectitur qualitas, à plerisq; ambigitur. Aristot. uisum est quatuor esse tantùm interiectas formas, ad quas possunt qualitates omnes reuocari. Primū genus constituūt habitus & affectio. Habitus est firma quedā & constās qualitas acquisita, quæ nō facile euellitur à re subiecta. Cuiusmodi sunt uirtutes omnes, uitia, artes, scientiæ. Acquisitā

*Significatus qualitatis.*

*Quid qualitas.*

*Primū genus qualitatis.*

*diximus contra illorum sententiam, qui uirtutum ac scientiarum habitus, uelut ornamenta quædam præclara animo, quamprimùm à* Deo *conditus est, conferri, falsò arbitrantur.* Affectio *est qualitas quædam minimè diuturna, quæq; citò subiectum deserit: ut mediocris artium cognitio temporis diuturnitate nondum confirmata: & quod ex aliquot uirtutum, aut uitiorum actionibus relinquitur, quam uiam quandam ad habitum, seu inchoatum habitum possumus appellare.* Habitus *& affectio non distinguntur essentiali differentia, sed accidentaria.* Estq; *affectio similis pallori, qui ex metu contrahitur, & citò recedit: habitus uerò eidem, cùm ex aliquo relinquitur diuturno morbo, nec facilè euellitur à subiecto. Secūda qualitatis species ex duabus etiam partibus constatur, naturali facultate & naturali imbecillitate.* Naturalis *facultas est, qualitas à natura congenita constans, qua facilè aliquid operamur, aut resistimus: ut in his, qui ad cursum, ad luctam, ad pugnā naturâ aptissimi sunt, naturales insunt facultates ad illas actiones exercendas, quibus indita nomina non sunt.* Vis *quoque, quæ in homine est ad percipiendas scientias, ad eandem speciem refertur.* Reperiuntur *etiam & facultates aliæ, quibus affecta subiecta idonea fiunt ad resistendum: quales in his cernuntur, qui non facilè nec leui quauis causa sunt morbis obnoxij.* Huiusmodi *uim duri nomen significat: durum enim appellamus quod secanti resistit.* Imbecillitas *naturalis qualitas quædam est natura indita, qua aut difficulter agimus, aut ægrè resistimus.* Quemadmodum *enim natura quosdam genuit aptos ad cursum, aut pugnam, ita alios procreauit ad ista omnia ineptissimos:*

*Affectio. Habitus. Secundum genus. Naturalis uis. Naturalis imbecillitas.*

mos: quos dicimus naturalibus imbecillitatibus esse affectos. Sunt etiam ualetudinarij permulti, qui facile & leui quauis occasione incidant in morbos: hi quia ægrè resistũt, naturalem quoq; habent imbecillitatem: cuius nomen est molle: id enim molle dicitur, quod diuidenti haud quaquàm resistit. Naturalis facultas & imbecillitas substantiali differentia separantur, quemadmodum homo & equus, & utraq; commune genus circunloquimur, quòd simplici nomine caret. Tertium genus continet patibilẽ qualitatem & perturbationem: quam non satis accommodato uocabulo paßionem alij appellare consueuere. Patibilis qualitas uocatur, qualitas diu multumq; hærẽs in subiecto, quæ in sensibus affectionem aliquam, aut motũ efficit, uel ex aliqua affectione nascitur: ut calor ignis, niuis candor, pallor qui ex diuturno morbo contrahitur, aut ex naturali temperatione, aut ex uehementi aliqua perturbatione. Perturbatio qualitas est, non diuturna, citò euanescens, quæ in sensu etiam affectionem gignit aliquam, aut ex affectione nascitur. Affectionem sensui ingerunt, quæ sensum delectant, aut offendunt: cuius generis sunt tactiles qualitates, calor, frigus, & quæ ad gustatum pertinent, ut sapores, cùm citò rem subiectam deserunt. Ex affectione nascuntur, pallor ex metu, rubor ex uerecundia. Dictæ sunt autem priores illæ patibiles, non ex eo quòd subiecta, quæ illas susceperunt, passa sunt: tametsi uerum sit fuisse aliquid perpessa, & commutata: sed ab ea dumtaxat affectione, quam in ipsis sensibus efficiunt. Quod habitum ab affectione distinguit, hoc ipsum fermè inter patibiles qualitates interest, & perturbationes: ita accidentario tantùm discrimine separantur.

3. Genus.

Perturbatio.

Quartũ genus. tur. In quarto genere sunt forma & figura. Figura complectitur Mathematica omnia, circulum, triangulum, quadratum: & eam figuram, quae est opificum artificio & industria confecta: ut sunt opificum opera, domus, nauis, tunica, calceus, mensa. Forma effigiem animatorum notat, & partium compositionem, à qua res pulchra dicitur, aut deformis. Praeter has quatuor alias alij excogitarunt: sed cùm hae solae qualitates omnes comprehendere uideantur, his possumus esse contenti. Vnum est de quo posset dubitari, cùm singulae formae duas partes complectantur, ac proinde octo fiant interiectae species, qua causa quatuor tantùm esse qualitatis genera dixerimus. Verùm ad dubitationem id responderi potest, simplicium uocum inopia factum esse, ut in singulis formis exprimendis duabus uocibus usi fuerimus: quas tamen unum commune genus significare, oportet intelligere. Proprietates qualitatis tres afferri solent. Prima est, in qualitatibus repugnantia est: nam calori frigus contrarium est, & nigrori candor. Sed id in quibusdam uerum est, non in omnibus. Circulo enim aut quadrato nil omnino contrarium est. Secunda proprietas, recipiunt qualia contentionem & remissionem. Nam & album aliud alio albius, minusq; album dicitur, & alio aliud magis minùsue iustum. Proprietas haec non omni qualitati accommodatur. In his enim quae sunt quartae speciei, magis aut minus non reperitur. Maximè proprium est qualitati, ex ea simile aliquid aut dissimile dici. Vocantur enim similia, quae eadem qualitate affecta sunt: dissimilia uerò, quae diuersis.

Figura. Forma. Prima propriet. 2. propri. 3. Propri.

*Quæ uoces ad hanc Categoriam referantur.*

CAPVT XVIII.

*OMnis uox corporis affectionem indicans non constantem ad primam formam qualitatis pertinet, & sub affectione continetur: cuius generis sunt sanitas, morbus, & eius formæ, febris, paralysis, pleuritis, simitas, cæcitas, mediocris quoq; artium cognitio, uirtutum, uitiorum, & aliarum rerum consuetudo, temporis diuturnitate nondum confirmata, ad eandem referuntur.* Habitus *omnes corporis in hac prima forma collocantur. Est autem corporis habitus commoda quædam agendi facultas, non à natura data, sed studio & industria comparata: qualem sibi comparant, qui se diu multumq; in artibus mechanicis & operarijs exercent, palestrica, gladiatoria, sutoria, arte natandi, currendi, &c.* Huiusmodi *habituum nomina sunt, robur, uelocitas, & id genus alia.* Habitus *tam mentis, quàm appetitus, sub eadem specie collocantur.* Vt *sapientia, intellectus, prudentia, ars, opinio, artium nomina & scientiarum,* Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica: *uirtus, uitium, iustitia, fortitudo, audacia, fides, spes, charitas.* Nomina *magistratuum & dignitatum in hoc primo genere qualitatis collocantur, ut* Pontifex, Episcopus, Sacerdos, Rex, Consul, Prætor, *pauper, diues, fortunatus, felix, beatus, nobilis.* Ad *secundam speciem pertinent omnes facultates naturales, & imbecillitates: ut durum, molle, salubre, ualetudinarius, uires naturales planetarum, syderum, elemẽtorũ, animalium, plantarũ, lapidum, & cæterorũ.* Proprietates *omnes formarum in eodẽ sunt genere, ut ridere, flere, natum esse ad perdiscendas artes, hinnire, latrare, mu*

*giro*

forma est actio. Est autem actio motio quædam, qua agēs in rem subiectam agere dicitur: ut calefactio, frigefactio. Actionis genera tot sunt, quot motus, sex scilicet, ortus, interitus, accessio, decessio, commutatio, loci mutatio. Ortus & Interitus ad substantiam pertinent, Accessio & Decessio ad quantitatem, Commutatio ad qualitatem, Loci mutatio ad Categoriam loci, de quibus accuratiùs agere, Philosophi naturalis interest. Proprietates actionis duæ sunt: prior est, in actione est repugnantia. Est enim una actio alteri contraria, ut calefactio frigefactioni, motui qui fit ad locum superum, is motus, qui fit ad locum inferum. Secunda proprietas, in actione magis & minus reperiuntur: nam & frigefacere res una altera magis dicitur, & minus, & calefacere. Hæc uerò non in omni insunt actione, sed in ea duntaxat, qua forma comparatur, cui ista conueniunt: cuius generis est calefacere, qui motus est ad calorem, quem certum est & habere contrarium frigus, & magis ac minus suscipere. Quæ uerò actiones finem habent ac extremum, in quo ista non reperiuntur, harum affectionum expertes sunt: ut scribere, gignere, secare. Pati est, eam uim accipere, quæ ab agente immittitur. Paßio uerò est, motus ab agente profectus, quâ suscipitur in re, quæ patitur. Sunt itaq; (quemadmodum diximus) actio & paßio motus unus & idem, ratione diuersus: ut calefactio quâ ab agente proficiscitur, uocatur actio: quâ uerò suscipitur in re aliqua subiecta, paßio. Itaque actio est mutatio agenti comparata, paßio uerò eadem mutatio, quâ respicit id quod patitur. Paßionis species tot sunt, quot & actionis. Proprietates quoq; eædem sunt in utroq; genere, & eodem modo

Actionis genera.

Proprietates actionis duæ.

Quid pati.

Quid paßio.

sese

sese habent. Est in paßione repugnantia. nã cale fieri & frige fieri contraria sunt, & hæc eadem magis ac minus suscipiunt. Calefit enim magis corpus unum altero & minus, ac frigefit. Hæc uerò non omni paßioni cõueniunt. Nam secari, scribi, & similia ista nõ recipiunt.

Quæ uoces in his generibus contineantur.

CAPVT. XX.

Actionis genere continentur uerba omnia, quæ Grammaticis actiua & transitiua dicuntur: ut dicere, disputare, conuiuari. Et nomina significationis actiuæ, scribens, scriptor. Verba omnia motus cum suis uerbalibus huic generi subijciuntur: ut generare, mouere, augere, minuere, generans, mouens, augens, generatio, auctio, motio. Deniq; huius est claßis quicquid legitimè respondetur interroganti, quid efficit? Ad paßionis genus pertinent uerba omnia quæ paßionem significant, ut moueri, calefieri, augeri, & similia. Ad idẽ referuntur etiam ea, quæ ad sensus propriè pertinent, quibus actio significari uidetur: ut uideo, audio, olfacio, sentio. Item ea, quæ animorum motus & perturbationes indicant, ut mœrere, timere, sperare, cupere, amare. Deniq; uerba motus, proficisci, saltare, ambulare, currere, & id genus alia, quæ forsitan actionum esse notæ alicui uidebũtur. Categoria Vbi.

CAPVT. XXI.

Cvm reliquæ quatuor Categoriæ ad disciplinas Philosophicas non usque adeò magnũ præstent adiumentum, & earum rarus admodum sit usus, breuißimè illas perstrinxit Aristoteles, & exemplis tantùm subiectis illustrauit: quod dubitandi locũ reliquit interpretibus

tibus, effecitq́; ut in uarias sententias distracti, nihil ferme certi de illis statuerint. Nos quæ probabiliora sunt afferemus, & uerò magis consentanea, sequetur quisq; ac eliget, quod ratione magis niti iudicabit. Multi hæc quatuor genera, Vbi, Quando, Situs, Habere, habitudines quasdã esse ac relationes arbitrati sunt. Constituunt autem duplex genus relationis alterum mutuũ ac reciprocum, alterum non mutuum. Mutua relatio est, cui in altero extremo alia respondet: cuius generis ist ea, qua pater refertur ad filium, ei enim uicissim in filio altera respondet, qua filius refertur ad patrem. Nõ mutua uocatur, cui in altero extremo nulla respondet: quales sunt eæ, quæ his generibus continentur. Priorem illam censent ad categoriam relationis pertinere, posteriorem uerò haud quaquàm illa contineri: sed constituere has quatuor ultimas Categorias. Sic argumento occurritur, quo huiusmodi sententia refelli posset, & seruatur integer decem Categoriarum numerus, qui alioqui confundi uidebatur. Sed ad singula genera explicanda accedamus. Vbi quibusdam uidetur esse habitudo (quemadmodum diximus) loci ad rem, quæ loco continetur, cui in re, quæ comprehenditur loco altera non respondet. Alijs ipsemet locus, quâ circunscribit, ac continet corpus. Potest & circunscriptio dici corporis, quæ à loco circunscribente proficiscitur. Ita ut nec sit locus, nec habitudo, sed contineri loco, quod accidens quoddam est proprium huius Categoriæ. Huius Categoriæ sunt nomina omnia, quæ in aliquo loco esse rem significant, ut in cœlo, in æthere, in mari, in templo, in foro. Ad hãc referuntur, supra, infra, ponè, ante, ad leuam, ad dextram, aduerbia loci, hic, istic, illic; deniq; ea omnia

Duplex genus relationis.

Quid Vbi.

Quæ sint huius Categoriæ.

omnia quae aptè respondentur interroganti, ubi res sit, aut geratur.

## Quando.

### CAPVT. XXII.

QVando tempus non est, hoc enim ad quantitatem pertinere diximus: sed nō est absq; tempore. Erit igitur Quando aut habitudo ipsius temporis ad res, quas metitur: aut ipsummet tempus, quatenus res metitur, unde fit ut dicantur tempore contineri: aut certè quod tertium est, contineri tempore, quae affectio quaedam est à tempore, & habitudine longè diuersa. Quando contrario caret, intensione & remissione, quemadmodum & Vbi. In hac classe continentur quae ad particulas interrogandi, quando, & quandiu legitimè respondentur: ut nunc, heri, noctu, interdiu, citò, serò, breui, tēpore hyberno, belli, pacis, superiori anno, die, mense, & id genus alia, quae ex propositis cuiuis agnōscere facillimum fuerit.

Quid Quādo

Quae sint huius categoria.

## Situm esse.

### CAPVT. XXIII.

IN partibus totius integri duplex ordo spectatur, alter qua in eodem toto sibi inuicem comparantur, alter qua ad locum referuntur, in quo continentur: ut exēpli gratia, partes hominis ordinem quendam seruant inter se, quo alia prima dicitur, alia postrema, media alia. Caput primum sibi locum uendicat, pedes ultimum, medium obtinet pectus. Hic ordo perpetuò unus est atq; idem, nec ex diuerso hominis situ unquàm uariatur. Cū autem homo in loco sit, necesse est quoq; singulas hominis partes singulis loci partibus contineri, atq; ita inter

Duplex ordo partium.

partes ordinem esse quendam quâ loci patibus compa rantur. Ergo situm esse aut hunc partium ordinem significat in loco, aut ipsummet locum, quatenus singulæ eius partes singulis corporis partibus respondent, aut certè circunscriptionẽ partiũ corporis à partibus loci, accidens & à loci reiq; partibus, & ab habitudine longè diuersum. Situm habent alia natura: ut mundus, elemẽta, animalia. Alia arte, ut ædificia statuæ, & similia. Situs genera sunt, stare seu rectum esse, sedere, cubare: cui subcijiuntur, pronum, supinum, in latus. Huic generi attinent omnia, quæ corporis positum exprimunt, qualia sunt quæ diximus, & formæ illorum, status, sessio, accubatio, deflexio, procliuitas. Crassum, tenue, leue, asperum, quæ alioqui ad qualitatem pertinere uidebantur, iudicio Aristotelis ad hoc genus referuntur, quod ex diffinitionibus intelligi licet. Crassum est, cuius partes prope cohærent. Tenue, cuius partes distractæ disiunctæq; sunt. Leue, cuius partes in rectum directæ sunt quodammodo, ut speculum. Asperum, cuius partes aliæ eminent, aliæ superantur.

Quid situs esse.

Quæ sint huius generis.

## Habere.

### CAP. XXIIII.

HAbere multis modis dicitur. Nam totum partes habere dicitur, & pater filium, & tempus res, quas metitur, & locus quæ continet corpora. Sed ista à nostro genere, de quo agimus, longe aliena sunt. Habere quâ genus est huius Categoriæ, significat aut quæ corpori adiacent, quâ nomen aliquod ipsi tribuunt, aut habitudinem eorum ad corpus, aut quod tertium est, adiacere & adhærere corpori: ut uestitum esse,

Quid habere.

uestem ipsam indicabit, qua corpori adhæret, uel habitudinē qua uestis ad corpus afficitur, uel certè uestem corpori adiacere, quod & à ueste differt, & à corpore. Huic generi subijciuntur quæ integumentum adhærens corpori significant, uel toti, uel uni alicui parti, à qua totum nomē accipit: cuiusmodi sunt, armatum esse, loricatum, galeatum, hastatum, uestitum esse, togatum, palliatum, purpuratum, sericatum, calceatum, & quæ sunt his similia, quibus breuiatis studio supersedemus.

Quæ huic generi subijciuntur.

De his quæ Postprædicamenta uocantur.
De Contrarijs
CAP. XXV.

Postrema huius tractationis pars μετὰ τὰς κατηγορίας, hoc est, Post prædicamenta inscribitur: in qua ea diligentiùs pertractantur, quorum, cùm de ipsis Categorijs ageremus, mentionem fecimus, & exacta ratio reddi non potuit: cuiusmodi sunt, contraria, prius, posterius, formæ motus. Primùm de contrarijs disserendum est, non quâ pertinent ad integra pronuntiata, huiusmodi enim disputatio in libro de Interpretatione suscipietur: sed qua ad uoces simplices spectant, quas solas recipiunt Categoriæ. Contrariorum genera suunt quatuor, relata, aduersa, priuātia, aientia & negantia, seu contradicentia. De relatis satis abundè actum est, restat ut de alijs disseramus. Aduersa uocantur, quæ collocantur sub eodem genere, & à se maximè distant, atq; eidē subiecto uicißim insunt, nisi alterum illi naturâ conueniat, à quo tamen mutuo sese expellunt. Aduersa à se maximè distant, non loco, sed formis, ac naturis. Habent enim

Aduersa.

enim naturas substantiasq; maximè diuersas. Suscipi autem uicißim possunt in eodem subiecto: idem enim nunc calore affectum est, nunc frigore: nō semper tamen, aut omnia, sed illa dūtaxat, quorum alterum non est rei inditum natura. Frigus igni nunquàm conueniet, quia calore naturà affectus est: nec siccum aquæ, quæ humorem trahit a natura. Postrema pars diffinitionis indicat, contraria simul in eadem re inesse non posse. Aduersa duplicia sunt, alia medium habent, alia carent medio. Medium non habere dicuntur quorum alterum necesse est inesse in his, in quibus natura insunt: ut morbus & bona ualetudo. Quæ quoniam in corpore animalis nasci solent, certè alterum necesse est, uel morbum, uel bonam ualetudinē animantis corpori conuenire. Impar etiam & par in numero dicuntur, alterutrumq; necesse est in numero reperiri. In his uerò contrarijs medium est collocatum, quorum alterum non necesse est in eis esse, quibus natura insunt: ueluti candor & atror in corpore natura nascuntur, & tamen non necessariò alterutrum inest in corpore. Cum præsertim nō omne corpus aut album sit aut nigrum. Porrò in his quæ medium habent, in quibusdam medijs ipsis nomina posita sunt: ut in albo & nigro, quorum media sunt, fuscus, pallidus & cætera eiusdē generis. In alijs media sunt anonyma, & negatione utriusq; extremi designantur: ut in bono & malo, quibus interiectum esse dicimus, quod neq; bonum est, neq; malum. Priuantia sunt, forma & priuatio, quæ circa idem fiunt, tempore à natura definito, & sine regressu. Priuantia circa rem eandem fieri dicuntur, propterea quòd in eo tantùm suscipitur priuatio, quod

Diuersa duplicia.

Priuātia

est capax formæ. Ita lapis, & quicquid aspectus capax esse non potest, tametsi non uideat, cæcum uerè non dicetur. Definitionis pars altera indicat, non necessariò quouis tempore subiectum altero ex priuantibus affectum esse debere. Homini enim, quam primùm nascitur, nec habere dentes conuenit, nec edentulum esse. Est tempus quoddam in quo natura, quæ ad formam necessaria sunt parat ac gignit, quo elapso, nisi conuenerit forma, ac in re subiecta effecta sit, priuatio in ea inesse uerè dicetur. Intra illius autem temporis limites alterutrum non est necesse in subiecto dici. Postrema pars sine regressu admonet, esse quidem progressum à forma in priuationem, contra uerò à priuatione in rem quæ amissa est, regressus fieri nullo modo potest. Nec enim qui oculis semel captus est, unquam posteà despexit. Sed aduersus hanc partem sic obijciunt: Aër amissum lumen recuperat, homini amissa scientia restitui potest, & in altero à tenebris ad lumen, in altero ab ignorantia ad scientiam fit regressus: est igitur reditus & mutatio à priuatione in formam. Cui obiectioni hoc modo occurrendum est: Duplex est priuatio, altera quæ à re subiecta formam aufert secundum actum, altera qua priuatur subiectum etiam potestate habendæ formæ. Prioris generis sunt, tenebræ, ignorantia. Illum enim ignorare dicimus, qui nescit, cùm possit tamen rerum scientiam sibi comparare. Posterioris generis sunt, cæcitas, mors. Nam cæcus is dicitur, qui nec despicit, nec despicere potest. Hoc posterius genus priuationum à nobis hoc loco consideratur, & huic accommodata definitio recta est. Alterum genus. 10. Metaphy. Aristot. contemplatur, cùm priuationem partem alteram contrariorũ appellat, & mutu

*Obiectio.*

*Soluitur ex duplici priuatione.*

mutuam esse inter contraria transmutationem statuit. Aientia & negãtia sunt, affirmatio & negatio rei eiusdem: ut homo, nõ homo, album, non album. In his oportet illud idem negatione tolli, quod asserit affirmatio, alioqui nulla esset repugnantia. Has formas contrariorum multis differentijs adductis separat Aristote. quas paucis explicabimus: Relata à cæteris omnibus ita distinguntur, quod unum ad alterum affectum sit, ac dicatur: ut pater filij, dominus serui. Alia autẽ non ita dicuntur. Neq; enim album ad nigrum affectum est, aut cæcitis ad aspectum. Prætereà relata in eodem reperiuntur, modò diuersis comparẽtur: cætera uerò in eadẽ re nullo modo possunt inesse. Aduersa ea quidem quæ medio carent, à priuantibus hoc modo separantur, illorum alterum necesse est quouis tempore in eo esse, in quo natura recipiuntur: protinus enim atq; est animal, & quãdiu uiuit, aut ualere oportet, aut morbo affici. Priuantium autem non necessario alterutrum quouis tempore in re subiecta reperitur: homini enim recens edito, nec habere dentes conuenit, nec edentulum esse. Quæ uerò medium habent, à priuantibus differunt, quòd horũ aliquo tempore alterum in eo reperiri sit necesse, circa quod natura uersantur: in illis uerò nullum est tempus, quo affici subiectum alterutro sit necesse. Iam inter aduersa mutua est transmutatio, nisi alterum sit natura tributum: à priuatione uerò in formam (quemadmodum diximus) non fit regressus. Porrò contradicentia à cæteris his distinguntur differentijs: ex contradicentibus alterum de re quauis proposita uerè enuntiatur, oportet enim quicquid est, album esse, aut non albũ. In alijs mul-

Aientia et negantia.

Differentia contrariorũ.

*ta sunt, quibus neutrum conuenit. Cùm non sit necesse quicquid est seruum esse aut dominum, album aut nigrum, uidere aut cæcum esse. Præterea inter contradicentia nihil omnino interiectū est, inter cætera multa intersunt, etiam illa aduersa, quæ medio carere asseruimus. In quibus, si rei comparentur, cui naturâ conueniunt, nil est interiectū: ut inter ualetudinem & ægrotationē nullum medium est, cùm ad animal referuntur: omnino autem & uniuerse sumpta, sine comparatione, multa habēt media. Nam nec lapidi, nec ligno, nec ijs, quæ sunt eiusdem generis, ullo modo conueniunt. Hæ ferè sunt contrariorū differentiæ ac dissimilitudines, quibus separantur.*

## De priore, posteriore, & *his quæ sunt simul.*

CAPVT XXVI.

*PRioris posterioris in explicandis Categorijs non semel mentionem fecimus, quare de his etiā nobis hoc loco erit agendum. Prius alterum altero multis modis dicitur: sed quorum frequentissimus in Philosophia usus est duo sunt fermè, prius tempore, prius naturæ ordine. Tempore prius dicitur, quod altero antiquius est, cuius scilicet ortus alterius ortum præcessit: cuiusmodi manifestissima sunt exempla. Naturæ ordine prius duobus modis dicitur. In primis quòd non uicissim alteri consequens est, cùm rei status exquiritur. Hoc modo unum duobus prius est. Nam si duo sint, continuò sequitur unum esse: unum autem si sit, non necesse est duo esse: animal quoq; homine, & omne genus hoc modo prius est forma. Colligitur enim ex homine animal ex necessitate: homo uerò animali non est consequens. Deinde eorum quæ uicissim commeant*

*[Prius tempore.]* *[Prius naturæ ordine.]*

meant in argumentatione de statu rei tractanda, id rectè prius naturæ ordine dicitur, quod causa est quomodocunq;, cur sit alterum. Sic inter se sunt comparata esse hominem, & oratio, quæ hominem esse enuntiat. Ista enim in argumentatione, qua exquiritur rei status, ita reciprocantur, ut si homo sit, uera sit oratio, hominem esse, & uicißim retrò commeando. Vera autem oratio minimè causa est, cur res sit: sed res potius causa est quodammodo, cur uera sit oratio. Nam quia res est, aut non est, ueram orationem, aut falsam dicimus: ita rē esse naturæ ordine prius est uera oratione. Hoc eodē modo sol lumine prior est, & subiectum omne suis affectionibus. Adiecit & alios modos prioris Aristote. prius ordine, & dignitate, qui explicatione non egent, & rarò usurpantur. Quot modis prius dicitur, totidem etiam dicitur & posterius: quorum diffinitiones perspicuæ euadunt ex ijs, quæ de priori diximus. Simul aliqua dicūtur iisdem fermè rationibus, tempore, & naturæ ordine. Simul tempore sunt, quorum ortus in eodem est tempore. Natura uerò simul sunt ea, quæ reciprocantur in argumentatione, quæ ex statu rei ducitur, sed neutiquam alterum alteri causa est, ut sit. Huius generis sunt relata, pater filius, dominus seruus. Hæc enim ita reciprocantur, ut si pater sit, sit etiam & filius, & si sit filius, sit pater: & neutrum alteri causam ortus affert: non enim pater, quâ pater causa est filij. Rursus simul natura dicuntur, quæ ex eadem sunt diuisione: ut homo, equus, leo, quæ diuidunt animal: quorum ea ratione nullum altero prius est, aut posterius. Porrò quoniam motus ac commutationis mentio facta est, & de his ex pro-

Quæ simul.

Secundus modus.

gumentatione concludendum. Id uerò usqueadeò certum est, ac exploratum, ut nemo sit de eo dubitaturus, nisi qui in ea re nullum unquam fecerit periculum. Sed exemplo ita esse aperiamus. Sit quæstio, consistátne beatitudo in uirtute, quæ .1. Ethic. disputatur. Hanc planè docere ac explicare nemo poterit, quin prius simplicium uerborum, subiecti scilicet & attributi significationes cognitas habeat, mox quo pacto affecta sint uirtus & beatitudo diligenter perpendat: hoc est, sintne ut totum & pars, an consequentia, an repugnantia. Quæ ubi tenuerit, docere, explicareq; propositam quæstionem aptißime poterit. Nam si alterum ut totum esse, alterum ut partem cõstaret, uirtutem esse beatitudinem perspicuum fieret. Si uerò repugnantia esse, aut dissentanea deprehenderentur, simul quoq; alterum alteri non conuenire intelligeretur. At ista omnia tradit Categoriarum ratio. Primùm enim quæ uoces substantiam significent, quæ qualitatem, quantitatem, relationem, & quæ sunt alijs generibus cõprehensa, declarent, apertè demonstrat. Cùm præsertim quid substantia sit, quid quantitas, quid aliorum unumquodq;, qua uia & ratione id fieri potuit, ostẽdat. Deinde Categoriarum scientia quo pacto res affectæ sint inter se indicat: quæ enim sunt eiusdem Categoriæ & in eodem ordine collocantur, ita sunt coniuncta, ut poßit alterũ de altero uerè efferri, sitq; alterum ut totum, alterũ ut pars. Quæ uerò ad diuersas pertinent Categorias, aut diuersorum sunt ordinum, dissentanea sunt, ut unum de altero dici non poßit: ut homo & candor, animal & planta. Sed & aliæ prætereà sunt non paucæ Categoriarum utilitates. Primò ad id utilis est Categoriarum cognitio, ut ha- Prima utilitas.

*ut habeamus rerum omnium quandam summā, & quædam quasi initia & elementa, ut sciamus ad quæ quasi capita singula sint referenda. Quòd quanti sit momenti & de rebus differenti, & quiduis docere paranti, ex alijs permultis intelligi potest, in quibus id potißimum curæ omnibus esse uidemus, ut rerum fontes ac principia, & generalia capita, communesq; locos cognitos habeant & quasi in numerato. Deinde cognationem uocum, amplitudinem, angustiam Categoriæ declarant. Nam quæ eiusdem sunt Categoriæ cohærent affinitate aliqua: quæ uerò diuersarum dißimilia sunt prorsus, & nihil commune habentia. Quæ superiora sunt, & ad summum genus proprius accedunt, latiùs patent, inferiora quæq; ab ipso principio & capite longiùs absunt, minora esse ac finibus angustioribus clausa cernuntur: quæ omnia disciplina hæc Categoriarum satis abundè docet. Iam quid uerum sit, quid falsum ex hac ipsa Categoriarum disciplina cognoscimus, & ut uno uerbo multa complectamur, & magnum huius partis usum aperiamus, uniuersa inuentionis materia in Categorijs continetur. Nullum enim est quæstionis genus, quod aliquo modo sola earum cognitione & ope tractari non poßit: nulla enunciationis forma, cui concludendæ materiam non suppeditent. Id ita esse, partim ex diuisione quæstionum, quas 1. Topico. Aristoteles subiecit, partim ex his, quæ de inueniendo medio. 27. cap. libri primi priorum Analyticorum scripsit, apertißimè potest demonstrari. Genera quæstionum sunt quatuor, iudicio Aristot. Diffinitionis, ut sitne animal particeps rationis hominis diffinitio, nécne? Generis, ut sitne genus uirtutis habitus, nécne,*

*Secunda utilitas.*

*Tertia utilitas.*

*Quarta utilitas.*

Proprie-

*Proprietatis, cuiusmodi est, sitne sursum celerrimè ferri ignis proprium, an non sit?* Accidentis, *ut sit candor niuis accidens, an non sit?* Omnia autem *hæc tractare, hoc est, aut confirmare, aut refellere, cōmodè is poterit, qui sit hac disciplina instructus.* Ratio *tractandæ quæstionis generis ex* Categorijs *planè sumitur.* Nam *sit quod proponitur genus rei, nécne, ex eisdē cognoscimus: ut sit quæstio, sitne naturalis facultas uirtutis genus, aut perturbatio, hoc pacto facilè refelletur, quod tametsi omnia sub qualitatis genere comprehendantur, sunt tamen in diuersis ordinibus, uirtus sub habitu primo genere qualitatis, continetur, perturbatio in tertio genere, naturalis uis pertinet ad primū genus.* Rursus, *si quæratur, sit'ne auiū genus animal, id confirmabitur ad hūc modum:* Auis & *animal sunt in substantia, & collocantur in eadē serie, alterū sub altero, quod ex typo* Substātiæ *generis percipitur: at auis genus animalis esse haudquaquā potest: reliquū est igitur ut sit animal auis genus.* Hinc *cōstat tractari quoq; ex his posse diffinitionis problema.* Nā *in diffinitione primū oportet genus locū obtinere: si igitur quod ut genus propositū est, non esse rei genus ostendatur, conclusum sanè erit propositam orationem non esse rei definitionem.* Vt *si sit quæstio, an numerus seipsum mouens (quod* Platonicis *uisum est) sit animæ definitio, eam euertere hoc pacto facillimè licebit:* Numerus, *qui tanquam genus collocatur, uerè animæ genus non est, cùm sit anima substantia, numerus autem quātitas: igitur nec tota oratio futura est animæ definitio.* Proprietatis *quæstio quo pacto refellatur, ex* Categorijs *discimus: ut si quæratur, sitne elementum ignis proprium?* Confutabi-

*futabitur, quia elementum in eadem est Categoria cum igne, & in eadem serie: quæ sic autem affecta sunt, eorum alterum alterius non potest esse proprium: sed aut genus, aut forma.* Idem *quæstioni accidentis modus accōmodabitur: ut si quæstio sese offerat, accidat color candori, nec ne?* Non *accidere probabitur cùm utriq; in eodem ordine qualitatis locus pateat.* Quòd *autem concludendis omnibus enunciatorum generibus materiam suppeditent* Categoriæ *ac subministrent, ea indicāt (ut diximus) quæ de ratione inueniendi medij uerbi ab Aristot. traduntur.*

*Sexta utilitas.*

Vniuersa *affirmatio, qualis est, omnis homo est substantia, concluditur sumpto medio, quòd antecedat attributum, & sequatur subiectum: id uerò eligēdum est ex eadē illa* Categoria, *in qua collocatur utrunq; extremum, & ex eodem ordine.* Sumentur *itaq;, corpus, uiuens, animal.* Specialis *affirmatio concluditur medio, quod utrūq; extremum antecedat: huiusmodi autem mediū suppeditabit* Categoria, *ad quam extrema referuntur: ut uolenti ratiocinatione colligere, quoddam animal esse substantiam, sumendum erit medium homo, qui eiusdem est ordinis, cum utroq; extremo.* Vniuersa *negatio efficitur medio sūpto, quod attributo repugnet & sequatur subiectū: huiusmodi autem medium series illa, in qua subiectū collocatur, subministrabit: ut si sit concludendum, nullum hominem esse lapidem, medium eligetur animal, aut uiuens.* Postremò *specialis negatio ostenditur medio, quod repugnet attributo, & antecedat subiectum, hoc autem colligetur ex ordine, cuius est subiectum: ut si probare oporteat quandā uirtutem nō esse à natura datam, erit aptū medium habitus animi, quem omnem constat studio parari.*

rari. Præter has utilitates, quæ sanè maximæ sunt, hanc quoq; affert disciplina Categoriarum, ut quæ pronunciata sint necessaria, quæ contingētia, quæ attributiones essentiales, quæ accidentariæ nobis commonstret. Omnis enim attributio, cuius extrema in eodem sunt genere & ordine, substantialis est ac necessaria. Illa uerò, cuius extrema ex diuersis generibus sumuntur, accidentaria uocatur. Ac ne singula, quæ innumera sunt, persequamur, ad diffiniendum & diuidendum, quæ duo præcipua sunt omnium artium instrumenta, maximè hæc disciplina conducit. Nam in definitione primùm curandum est, ut genus rei inuestigetur: hoc uerò non aliunde quàm ex Categorijs esse colligendum, manifestum est. Ita Aristote. animæ naturam explicare parans, primùm quærendum esse admonet in quo genere sit. Diffiniturus quoq; uirtutem, de eius genere fuit maximè solicitus. Diuisionum etiā materia hinc depromitur: nam genera, formæ, differentiæ, accidentia hùc omnia referuntur. Ac de Categorijs, & usu earum hæc dicta sint.

Septima utilitas.

Postremus usus Categori.

Libri quarti de compositione Dialectica finis.

Liber

# DE COMPOSITIONE ARTIS DIALECTICAE LIBER QVINTVS, QVI DE Interpretatione inscribitur.

## De instituto, materia, & libri huius inscriptione.

CAP. I.



Isputationem Categoriarum proximè sequitur tractatio de Enũciatione. Ei enim qui nouerit, quid uoces simplices significent, & quo pacto inter se sint affectæ, proximum est, ut qua ratione ex eis enuntiata constentur, addiscat, modumq; ueri & falsi perspiciendi in singulis probè intelligat. Ista sunt, quæ præsenti libro tradere paramus: cuius subiecta materia Enunciatio est, propositum ac institutum, de ea disserere, partes eius, formas, affectiones persequi, regulas tum communes ad omnia enuntiatorum genera pertinentes, tũ speciales, certo generi accõmodatas, explicare: quibus ueri falsiq; inueniendi uia & methodus contineatur. Inscribitur autem περὶ ἑρμηνείας, siue de interpretatione, propterea quòd in eo de enuntiatione agatur, quæ in uoce posita est, quam constat interpretem esse compositionis & diuisionis, quas mens apud se efformat. Interpretationem Boëtius uocem definit esse aliquid significantem. Sic dicta est, quòd animi sensa exprimat & interpretetur. Partes eius minutissimæ sunt, nomen & uer

*Materia præsentis libri* · *Propositũ* · *Inscriptio* · *Interpretatio quid*

& uerbum: maiores autem multiplices enuntiationes. Magna huius libri utilitas est, cuius cognitione qui sit destitutus, differendi artem se consecuturum haud quaquàm speret. Quo autem pacto sit hic ad reliquos affectus, & ad ipsum finem breuiter est dicendum. Præclarè quidem à Galeno in libro de optima secta ad Trasibulum scriptum est, tria in omnibus artium præceptis desyderari, ut uera sint, & utilia, & inter se ac iactis principijs consentiẽtia. Quòd si unũ istorum præcepto desit, statim nec præceptum dici merebitur. Hæc ex ipsa artis diffinitione colligũtur. Ars enim diffinitur collectio multarum comprehensionum, quæ referuntur ad finem aliquem uitæ utilem. Comprehensionum collectio ad præceptorum inter se, & cum subiecto principio consensum pertinet. Quatenus ad finem aliquem uitæ utilem ununquodq; præceptum refertur, eo utile est. Quatenus autem sub comprehensionem cadit, uerum esse affirmandum est, falsi namq; nulla est comprehensio. Sit uerum præceptum nec ne, ex rebus ipsis æstimandũ est, hoc est, ex ipsarum cum oratione concordia. Cuius rei iudex non sensus erit, sed mens ac uis intelligendi. Nam artium principia atq; præcepta tametsi ex his, quæ sensui nota sunt, oriũtur, sensibus tamẽ ipsis non comprehenduntur. Non enim ex sensui euidentibus ars constituitur, nec per ea, quæ sensibus subiecta sunt traditur. Alioqui inter artificem & imperitum nil omnino interesset, cùm deprehensio sensui patentium eadem sit in utroq;. Præceptionum consensus non ex eo, quòd simul sunt, iudicandus est, sed quòd ex se uicissim pendeant, & alijs interemptis alia interimantur. Vtile

Libri utilitas.

Tria conueniũt artium præceptis.

Vnde æstimandum sit uerũ præceptum.

Vnde pendeat consensus.

Vtile præceptum ex fine dignoscitur.

præceptum cùm ad finem artis refertur dignoscitur. Quæ enim comprehendi possunt, & ad finem comparandum conferunt, utilia sunt existimanda. Ex his perspicuum euadit præcepta artium omnia finem spectare, & ad ipsum comparandum uiam sternere. Cæterum ad finem præceptiones duobus modis possunt esse affectæ, Quædam sunt ex quibus proximè finis artis sequitur, aliæ à fine longius absunt, multis tamen interiectis ad finem referuntur. Duplex hæc præceptorum diuersitas cernitur, cùm in alijs artibus, tùm uerò in ratione disserendi. Quæ de argumentatione & eius formis præcipiuntur, quæ traduntur de inueniendis locis, ex quibus argumenta ducuntur, cum fine artis cohærent, ac coniuncta sunt, his enim statim fides paratur, quam finem esse constituimus. Quæ uerò in Categorijs disputãtur, quæq; hoc libro tradẽda sunt, finem quidem respiciunt, non ita tamen ut ex his proximè sequatur. Quoniam enim fides fit aliqua argumẽtationis forma, ea præsertim, quæ ex ueris coalescit, argumentatione ad fidem faciendam uti uolentem, & conficiẽdæ enuntiationis, & ueri ac falsi dignoscendi rationem cognitam atq; perspectam habere oportet. Ex his relinquitur partem hanc artis, quam tradere hoc libro paramus, esse summè necessariam, & cum cæteris ita compositam, ut disputationem Categoriarum sequatur, & ad eam, quæ est de argumentandi formis proximè parari atq; ea media referri in finem.

Quo pacto hæc pars sit cũ cæteris cõposita.

## De Voce & eius formis.

### CAP. II.

Minime

Minimæ partes artis Dialecticæ sunt simplices uoces, de quibus in categorijs à nobis actum est. Sed in illis quid quæq; significaret spectauimus. Nunc quoniam hæ ipsæ enuntiationem componunt, nominaq; ac uerba appellantur, de his denuò erit differendum, & utriusque explicanda ratio. Quod commodè fiet, si pauca de uoce & eius partibus præfati fuerimus. Vocis naturam diligentius explorare, naturalis inter est, ad quem spectat de animæ uiribus, & his quæ ipsis aprehenduntur, disputare. Poterat sanè Dialecticus bona fronte eius natura explicanda supersedere, uel Aristot. exemplo, à quo in Dialecticis non legitur tradita esse uocis diffinitio. Et sanè meritò. Significatũ enim in uoce tantum Dialecticus spectat, uocis, qua uox est, nullam curam gerit. Possemus itaq; sola significantis uocis cognitione esse contenti; sed mos gerundus est consuetudini, & manus, quod aiunt, mittenda in messem alienam. Vox sonus est ex animalis ore prolatus, qui efformatur certis quibusdam & naturalibus instrumentis, cum imaginatione significandi: sonus autem, qui relinquitur ex ictu duorum corporum. Instrumentum in animalis actione uocatur, quo intercedente proximè actio ipsa exercetur. Vt in uisu non aër aut aqua instrumentum est, non totus oculus, sed pars quædam oculi, crystallinus humor. In efformanda uoce instrumentum est Galeni iudicio pars gutturis, quæ glottis appellatur. Argumento est (quemadmodum ipse testatur) quòd hac parte læsa, huiusmodi actio aut magna ex parte impeditur, aut omnino, euertitur, & animalia obmutescunt, Ergo pulmo, palatum,

Quid uox.

Instrumentum uocis

labia, dentes, lingua, falsò inter instrumenta numerantur. Nã tametsi sola illa animalia uocē emittere cẽseat Arist. quæ respirant, quæq; plumonẽ habent: non protinus efficitur, ut sit pulmo efformãdæ uocis instrumẽtum. Iam illa alia non uocis, sed articulatæ uocis, hoc est, sermonis organa esse ac instrumẽta uidentur. : it uox cùm aër, qui respiratione attrahitur, ab animalis facultate impulsus, ferit partẽ illam gutturis superiorem. Hæc, ut diximus, uocis tractatio nõ est Dialecticorum propria: ad partes igitur, quæ huius sunt loci & instituti, properemus. Voces aliæ significant, aliæ nil omnino præmonstrãt.

Quid vox significãs

Vox significans, nota quædã est, qua alij alijs notiones suas explicãt. Ad significationẽ uocis rei subsistentia non desideratur, animũ tantùm significatus spectat & mentẽ: nam hircoceruus, Hector, & aliæ id genus uoces significant quidẽ aliquid, quod tamen nõ est, nisi quã diu intelligentia cõprehenditur. Iam uocẽ significare nõ est omninò ac uniuersè accipiẽdũ, sed ratione alicuius. Sunt enim uoces, quæ brutis significãt aliquid, hominibus nihil: & aliæ latinis, aliæ Hispanis. Vox non significans est, qua audita nihil animo concipimus, & explicare alij alijs cogitatus suos nequeunt.

Diuisio vocis significantis.

Vox significãs, aut natura significat, aut ex conuentione hominum & consensu. Ex instituto hominũ significãt, quæ ab hominibus rebus ipsis inditæ fuere: ut nomina omnia & uerba. Natura uerò, quæ suam à natura traxerunt significationẽ, non ex hominum conuẽtione: ut eiulantium, aut ridentium uoces, quas dolor aut uoluptas exprimit: & quæ à brutis eduntur, quibus naturalis aliquis designatur effectus, ut pluuia, serenitas, uentus. Has à prioribus ita distin-

*stinguere licebit: quòd hæ apud omnes & quauis ætate eandem semper retinēt significationem, quicquid homi nes statuant: illæ usqueadeò pendent ex hominum arbi trio, ut ad rem aliam significandam poßint traduci: in quibus usus dominus est significatuum, quemadmodum in arte poëtica pulchre cecinit Horatius.*

*Multa renascentur, quæ nunc cecidere: cadentq́;,*
*Quæ nunc sunt in honore, uocabula, si uolet usus,*
*Quē penes arbitriū est, & uis, & norma loquēdi,*

*Magnam inter Aristotelem & Platonem esse uidetur de uocum significatione dissensio. Aristote. positione uult esse nomina, Plato uerò natura. Sed huic quæstio ni possumus in hunc modum satisfacere. Plato naturalia esse nomina cùm dicit, id intelligit, in nomine naturam eius rei, quam notat, contineri: periteq́; eum, qui primus rebus nomina imposuit, fecisse, qui unamquamq; rem nomine eius naturæ apto & accommodato appellarit. Cuius rei multa in Cratylo subijcit exempla. Quare censent, qui rebus uelit nomina imponere, eum id commode præstare non posse, nisi rerum naturas cognitas habeat, ac exploratas, à quibus ipsa nomina esse eruenda existimat. Aristote. uerò illud tantùm spectans nomina & uerba quæcunq; illa sint tandem, ab hominibus fuisse reperta, & rebus ipsis adaptata, natura nō esse, hoc est, non natura, sed hominum instituto & uolun tate significare, pronuntiauit. Ita non dissentiunt magister & discipulus, cùm aliud & aliud respicientes, contraria dixisse uideantur. Vtriusq; autē sententiā, ueram esse sacræ literæ testantur. In quibus legimus primus Adamū rebus nomina imposuisse. Quod pro cuiusq; rei*

*Quæstio*

*Quæstionis explicatio.*

natura sapientißimè, à uiro sapientißimo factum fuisse, intelligendum est. Idq; uel ex nomine uxori indito licet deprehendere. Heuam enim illam appellauit, hoc est, uiuentem, quòd scilicet mater futura esset omnium uiuentium, & totius suæ posteritatis.

## De nomine & uerbo enuntiationis partibus.

### CAPVT. III.

Quid Nomen. PArtes, ex quibus conflatur enuntiatio sunt, nomen, & uerbum: quas primo loco explicare conuenit, ut ex earum cognitione, ad totius intelligentiam aptè progrediamur. Nomen est uox ex instituto significans, sine tempore, cuius nulla pars quicquam separata significat, finita, & casus recti. A uerbo nomen sola illa parte separatur, qua dicitur sine tempore aliquid significare, quæ paulò post quid sibi uelit, explanabitur. Grãmaticis casus nominis nomina uocantur, Aristot. rectus tantùm nomen est: quia is solus cũ uerbo est constituit enuntiationẽ. Infinita nomina sunt, nõ homo, non albũ, quæ omnino esse nomina Aristote. non placet, sed uult appellari nomina infinita: nil enim certum ac definitũ significant, cùm indicent tam id quod est, quàm id quod non est. Nomina autem & uerba rem certam notant atq; declarant.

Quid Verbum. Verbum uox est ex instituto significans cum tempore, cuius nulla pars significat separata: finita, & temporis præsentis ac indicandi modi. Pars illa cum tempore significare, uerbum à nomine distinguit.

Quid cũ tempore significarer. Nam etsi nomina tempus notent, cuiusmodi sunt dies, annus, mensis: non tamen significant cum tempore. Est enim cum tempore significare, præter primam significationem, aliquam secum trahere temporis differentiam,

quæ

quæ totam enuntiationis compositionem definiat: ut ambulo, quod uerbū est, ambulationem quidē significat primo loco, actionem scilicet, sed præterea trahit secum differētiam tēporis præsentis. Consignificat enim ambulationem in præsenti tempore. Nomina uerò, quæ temporis notæ sunt, præter tempus, nil aliud declarāt, quod ex his, quæ proposita sunt, facilè intelligitur. Participium maiorem cum uerbo in hac parte habet affinitatem, nam rem quampiam uidetur indicare, ac præterea tempus: ut ambulans ambulationem in tēpore præsenti. Sed distat à uerbo, quòd uerbi tēpus totam (ut diximus) definit enuntiationis compositionem, & ab eo enuntiatio nomen sortitur: ut homo fuit ambulans præteriti tēporis est, cū participiū præsens tēpus adsignificet. Infinita uerba, ut non ambulo, nō lego à ratione uerbi reijcit Arist. ob eam causam, quam in nomine diximus. Et ut in nomine casus & obliquos à nomine distinxit, sic in uerbo tempora & modos omnes, præter præsens, & indicatiuum, uerba Dialecticis esse negat. Ratio est, quia primò ac per se non faciunt enuntiationem, nisi & nomina redigantur ad rectum, aut cum recto iungantur, & uerba quoddammodo ad præsens & indicandi modum reuocentur.

*Quid intersit inter uerbū & participium.*

## Quid oratio & quotuplex.

CAP. IIII.

ORatio ab Arist. definitur uox significans ex hominum instituto, cuius pars aliqua seiuncta separataq; significat: ut dictio, non ut affirmatio aut negatio: quam postremam partē adiectam esse multi ex interpretibus arbitrātur: quia de simplici tantū enuncia-

*Quid oratio.*

ftione disputatur, quæ simplici quoq; ratiocinationi conficiẽdæ est accommodata. Sed nos cùm omne genus pronunciatorum persequi statuerimus, partem illam detrahemus, ut communis relinquatur diffinitio, omnem formam pronunciatorum complectens. Ex instituto significare orationẽ, uel ex ipsis partibus intelligere licet, quæ eo modo significant, nomen scilicet & uerbum: cùm totius significatio pendeat ex significatione partium. A nomine & uerbo eò separatur oratio, quòd nominis & uerbi partes nil seiũctæ ac separatæ significent: at partes orationis separatæ aliquid notant, quemadmodum & tota oratio. Sed dubium est in nominibus compositis significent'ne partes seiunctæ, nécne: significare enim aliquid planè uidentur: ut in homine equiferus, cuius singulæ partes seorsum sumptæ rem aliquam notant: quæ dubitatio sic soluenda est. Plurimum interest inter orationem & huiusmodi nomina, nam orationis partes non solùm auulsæ à toto significãt aliquid; ut in ea quæ dicit, Aristotelem Philosophum, partes illæ Aristote. & Philosophus separatæ à tota oratione rem aliquam declarãt, sed quâ totius sunt partes, singulæ per se sumptæ significant aliquid. At nominis compositæ figuræ partes quidem auulsæ à toto nomine rem aliquam planè notant: at quâ partes sunt unius nominis, nil significant, sed adsignificant singulæ per se: ut in uoce paterfamilias, pars illa pater distracta à nomine patrem significat, sed quâ pars est nominis, adsignificat, hoc est, unà cum altera parte rem unam ac simplicem declarat. Hæc uera est ac legitima huius partis interpretatio. Orationum genera duo sunt. Alia enim perfecta est, alia imperfecta

*Obiectio.* *Solutio obiection.* *Duo genera orationum.*

*fecta. Perfecta est ea, quæ perfectam sententiam in animo audientium imprimit, ut homo est animal. Imperfecta contrà ea est, quæ nō imprimit & parit: ut Socrates & Plato. Hac enim prolata oratione animi auditorum non conquiescunt, sed aliquid prætereà desyderant.*

De Enunciatione & *eius diuisionibus.*

CAPVT V.

PErfecta *oratio duplex est, alia quæ non est enunciatio, alia quæ enunciatio dicitur.* Orationes *imperantium, optantium, rogantium, & admirantium, & aliquæ etiam ex his, quæ uerbum continent indicantis modi, in quibus adhibetur, quod totius orationis sententiam quodammodo suspendit, cuiusmodi est interrogatio,* An *consistat summum bonum in uoluptate? non sunt enunciationes.* Enunciatio *ea sola dicitur, quæ perfecta oratio est, & uerum aliquid aut falsum declarat, cuiusmodi hæc est:* Homo *est animal rationis particeps.* Di*uisiones enunciationis, quod axioma, seu effatum apellatur, multæ sunt: quas tamen in quatuor genera reuocare licebit. Sunt autem hæc genera,* Compo*sitio seu substantia,* Qualitas, Quantitas, Materia. Ex *substantia duæ sumuntur.* Prior *est, qua distribuitur in ueram & falsam.* Vera *est, quæ perinde significat atq; res se habet: ut* Deus *est immortalis.* Falsa, *quæ longè aliter ac res sese habet significat: ut* Homo *est expers rationis.* Ita *uerum & falsum non ex opinione nostra, quemadmodum quibusdam uisum est, quicquid nobis uidetur uerum esse existimantibus, sumuntur, sed ex solis rebus.* Altera *diuisio ad substantiam pertinens, est in sim-*

*Quid enūciatio.*

*Prima diuisio enūciationis.*

*Secūda diuisio.*

plicem & compositam. Simplex subiecto constat & attributo, & uerbo uno indicantis modi: ut Homo est animal. Subiectum uocatur, cui aliquid tribuitur, uel à quo aliquid remouetur. Illud in affirmatione, hoc in negatione. Attributum, quod alteri tribuitur, uel ab altero remouetur. Plurimum in hoc genere simplicium pronũciatorum confert partes singulas dignoscere, posséq; alteram ab altera distinguere: quod ut cõmodè fieri posit ista sunt diligenter animaduertenda. In enunciationibus, in quibus præter uerbum nil tertium exprimitur, in quibus uerbum secundo loco adiacere Aristoteles affirmat, siue uerbum est complectantur, siue aliud quoduis, quod cum uerbo sumitur subiectum est, uerbum autem ipsum attributum: ut in his, homo est, homo loquitur. In quibus autem præter uerbum aliquid adijcitur, si est uerbum complectuntur, serueturq; ordo à natura profectus, id est, quo natura sua quisq; duce animi sensa exprimit, quod uerbum antecedit subiectum uocabitur, quod sequetur, attributum: ut in enunciatione, homo est animal, homo subiectum est, animal attributum. Si uerò enunciatio uerbum contineat, quod à Dialecticis adiectiuum appellatur, ipsum uerbum, unà cum eo quod sequitur est attributum: ut in pronunciato, Deus creauit cœlos, creauit cœlos attributi munere fungitur. Porrò in simplicibus his enunciatis, commutatur aliquando naturalis sermo artificio, sic enim loqui solemus, præpotens est rerum omnium Deus. Quæ oratio ad naturalem modum dicendi erit reuocanda, scilicet, Deus est præpotens rerum omnium: & ex eo quid subiectum, quid attributum æstimandum. Iam subiectum & attribu-

Quid simplex enunciatio.

attributum aliquando simplicia sunt nomina: ut iustitia est uirtus: aliquando composita, ut felicitas, quæ nõ est collocanda in uoluptate, cõsistit in actione uirtutis: in qua enunciatione quicquid uerbum illud consistit antecedit, subiectum est, quod sequitur unà cũ uerbo pertinet ad attributum. Signa aut generalia, aut specialia non sunt extremorum partes: ut in pronunciato, omnis homo est substantia, uox homo sola subiectum est, omnis nota solùm, quæ quo pacto subiectum accipi debeat ostendit. In enũciationibus negãtibus, negatio nec subiecti, nec attributi pars efficitur: sed in uerbum uim suã exercet. In his uerò, quas infinitas Arist. appellat, cuius generis est, homo est non iustus, negatio in attributo cõtinetur: fit enim ex ea & uoce significante nomen unũ.

Composita enunciatio est, quæ constatur ex multis simplicibus uinculo aliquo connexis, uel per se aptè cohærentibus: ut aut dies est, aut nox est: pauperi desunt multa, auaro omnia. De hac enunciationis forma posteà dicemus, pauca enim cum simplici enunciatione habet cõmunia. Nunc ea tantùm, quæ ad simplicem spectãt, persequemur. Omnis simplex pronunciatio aut ait quid, aut negat, id est, aut affirmatio est, aut negatio. Affirmatio est enunciatio, in qua uerbum præcipuum asseritur: ut homo est animal. Negatio, in qua præcipuum uerbum negatur: ut pisces non respirant. Fit aliquando, ut negatio alteri extremo applicetur, ut non homo est albus, quam negationem uerè non licebit appellare. Accidit etiã ut plura uerba in simplici enũciatione collocentur, quorum unum præcipuum est, ex quo æstimãda est affirmatio, aut negatio: ut in enunciatione, felicitas, quæ

Quid cõposita enũciatio.

Tertia diuisio enũciatio

tu, quæ nō est posita in uoluptate, cōsistit in uirtutis actione, uerbū est prius negatur quidē, sed quia asseritur alterū, quod principem locum obtinet, affirmatio censebitur, non negatio. Præcipuum autem appellatur id, ex quo compositio pendet totius pronunciati, quo scilicet è medio sublato, imperfecta relinquitur oratio. Quoniam autem cùm quid confirmamus, aut negamus, id uel de toto genere facimus, uel de parte incerta, uel certa, uel etiam de aliqua re singulari, efficitur, ut tam affirmatio, quàm negatio, deniq; simplex enunciatio in quatuor partes sit distributa. Prima dicitur simplex in totum, de toto genere, seu uniuersa: altera ex parte aliqua, siue specialis: tertia ex parte incerta, seu indefinita: quarta singularis. Enunciatio de toto genere ea est, qua aliquid omni rei propositæ conuenire dicitur, aut negatur: seu cuius subiectum uox est communis, & notā continet uniuersi generis, siue aientem: ut omnis uirtus est habitus: siue negantem, ut nullum bonum est malum. Enunciatio ex parte aliqua siue specialis est, cuius subiectum est uox communis, & specialem continet notam: ut quidā habitus est expetendus, quidam homo non est albus. Enunciatio incertæ partis, uel indefinita, ea dicitur, cuius subiectum communis est uox, & absq; nota ulla sumitur. Sic autē appellata est, quòd incertā ac indefinitā habet sententiam. Nunc enim cum uniuersa cōmeat, quādo inter subiectum & attributum necessaria est connexio: ut homo est animal, eadem est cum uniuersa, omnis homo est animal, nunc cum speciali, ut homo ambulat, transit in specialem, quidam homo ambulat. Singularis enunciatio uocatur, quæ constat ex subiecto

Quarta diuisio.

Vniuersa enūciatio

Specialis.

Indefinita.

Singularis.

uoce

uoce singulari: ut Arist. est Philosophus. Harũ diuisionũ (quemadmodum anteà attigimus) haec est dissimilitudo: priores ex substantia sumptae sunt: Nam uerum & falsum differentiae sunt enunciationis: simplex & composita formae. Ita interroganti qualis sit enunciatio secundum substantiam, ueram esse aut falsam aptè respondebimus. Interroganti autem quaenam sit, simplicem aut compositam licebit respondere. Tertia diuisio pertinet ad qualitatem, cuius partes respondebũtur interroganti qualis sit enunciatio secundum accidens. Quarta ex quantitate sumpta est. Nam si quis quanta sit enũciatio percontetur, aliqua ex illis quatuor partibus respondenda erit. Ex materia quoq; diuiditur enunciatio in necessariam, de eo quod fieri nõ potest, quam impossibilem appellant, contingentem. Quae differẽtiae ex rerum diuersitate nascuntur. Res enim tribus modis affectae inueniuntur. Aliae sic cohaerent inter se, ut nunquam seiungi possint: ut homo & animal. Aliae contrà sic inter se disiunctae sunt, ut coniungi nunquam possint. ut homo & lapis. Quaedam his interiectae interdum coniunguntur, interdum separantur: ut homo & ambulare. Quinta diuisio.
Enunciationes, quae ex rebus primi generis existũt, sunt necessariae, quae scilicet ita sunt uerae, ut falsae esse non possint: cuius generis sunt, homo est animal, homo est particeps rationis. Quae secundi generis res continent, sunt impossibiles, hoc est, ita falsae ut in ueras conuerti nequeant: cuiusmodi est, uirtus est uitium. Enunciationes, quae de rebus sunt tertij generis, medium inter has locum obtinent: nam & uerae esse possunt, & falsae: ut homo ambulat.

De regulis

## De regulis censuræ ueri & falsi,

## CAPVT VI.

OMnia simplicia pronunciata in quatuor genera cadunt (quemadmodum diximus) uniuersum, speciale, indefinitum, singulare. Quod ad singulare pronũciatum attinet, non est admodum difficile uerum & falsum in eo dignoscere. Nam cùm subiectãm rem tantum unam complectatur, si ab ea attributum non discrepet, uerum erit: sin minus, falsum. Res est in uniuersis pronunciatis & specialibus paulò difficilior cognitu: quæ his duabus regulis explicabitur. Prior est. Enunciatio uniuersi generis uera est, quando attributum ea ratione qua profertur, in nullo singulari discrepat à subiecto: ut omnis homo est animal uera ex eo esse cognoscitur, quòd animal omnibus particularibus hominibus conueniat. Falsa autem est, quando in aliquo, uel uno, attributum à subiecto dissentit. Ita hæ falsæ sunt: omnis homo est albus, nullus homo est albus: nam in multis singularibus attributum à subiecto discrepat. Altera regula. Specialis enunciatio uera est, si uel in uno singulari attributum à subiecto non discrepet ea ratione qua profertur: cuiusmodi est, quidam homo uigilat. Nã tametsi multi dormiant, uno uigilante uera efficitur. Falsa ut sit necesse est in omnibus singularibus attributum dissẽtiat à subiecto: ut quidam homo est lapis, quidã homo nõ est animal. Indefinitæ atq; incertæ enunciationi hæ eædem regulæ seruient. Nam si trãsierit in uniuersam, ex priori regula, uera sit, nécne, iudicabitur: si in specialẽ, ex posteriori. Quædã enunciationes faciẽ habent uniuersarũ:

*Prior regula examinandi ueri.*

*Altera regula.*

sed

sed ex sensu ad aliud genus referuntur: cuius generis est, cuncti simul ore fremebant: quæ non aliter est singularis, quàm si quis enunciet, isti simul ore fremebant: in his eadem atq; in singularibus examinandi ueri ac falsi ratio erit. Eiusdem fermè generis esse uidentur hæ, omnes Apostoli Dei sunt duodecim, omnes orbes cœlestes sunt octo, omnes sensus sunt quinq;, & aliæ his similes non paucæ, quæ uulgò collectiuæ dicuntur. In quibus nō ex singularibus ratio ueri sumitur, sed ex sensu, quem reddunt. Significant enim non singulos orbes octonario contineri, aut singulos sensus quinario numero: sed totam orbium congeriem, aut omnes orbes simul sumptos octo esse, & sensus omnes simul sumptos, quinq;. Reperiūtur etiam speciales aut incertæ, quarum etiam ueritas non ex singularibus, sed ex sensu quoq; examinā da est: cuiusmodi sunt, pane aliquo opus est ad uescendum, argumentatio est Dialecticæ materia, obiectum uisus proprium est color, solus homo nouit numerare, homo est species, & aliæ eiusdem generis sexcentæ. Qui enim dicit, pane opus esse ad edendum, non id uult intelligi hoc aut illo pane opus esse: sed eum qui edit, pane uesci. Ita cùm dicimus materiam esse Dialecticæ argumentationem, aut uisus obiectum colòrem, non id uolumus intelligi, hanc aut illam argumentionem subijci Dialecticæ tanquam genus, aut hunc uel illum colorem proprium esse uisus obiectum: sed quicquid uisus uidet esse colorem, & Dialecticam de argumentàtione disserere, atq; omnia in eam referre. Idem in alijs explicandis modus est. Homo est species significat, non aliquem singularem esse speciem, sed hominem uniuersè sumptum.

*sumptum. Solus homo numerat, nõ huncreddit sensum, solus hic aut ille homo numerat: sed quicquid numerat homo est.*

De *Enuntiationibus contrarijs.*

CAPVT. VII.

HActenus *simplicium* Enuntiationum *ueritatem, aut falsitatem simpliciter spectauimus*. Deinceps *enuntiationes inter se conferemus, ut quemadmodum, & quot modis consentaneæ aut repugnãtes esse poßint, intelligatur*. Itaq; *ea, quæ sequũtur, ad affectiones simplicium enuntiationum pertinebunt: quarum prima est repugnantia, ac proinde primo loco tractanda*. Repugnantia, *quam uulgo oppositionem appellant, non in quibusuis reperitur enuntiationum differentijs, sed in certo quodam genere pronuntiatorum*. Id *autem quale sit, ex his diuisionibus perspicuum euadet*. Simplices enuntiationes, *quædam sunt, quibus alterum tãtum extremum, aut neutrum cõmune est: ut homo est animal, bos est substantia: homo est animal, bos est animal*. Aliæ *in utroq; extremo conueniunt, cuius generis sunt, uirtus est habitus, uirtus non est habitus*. Harum *quædam in utroq; extremo conueniunt ordine eodem, ut idem in utraq; subijciatur, idem sit attributum*. *Aliæ uerò ordinis commutatione*. Prioris *generis sunt, homo est animal, homo non est animal: posterioris, homo est animal, animal est homo*. Enunciationes, *quæ diuersa habẽt extrema, aut in altero tantùm conueniunt, tum quæ in utroq; conueniunt, sed ordinis commutatione, non possunt ullo modo contrariæ, aut repugnantes appellari. In his igitur solis repugnãtia spectabitur, quæ ex eisdem omni-*

*Prima enuntiationum diuisio.*

*Secunda diuisio.*

*omnino conflantur extremis. sed præter extremorum consensum, alia etiam in contrarijs enuntiationibus desiderantur. Quæ quò facilius intelligi poßint, quæ sint contrariæ enuntiationes definiamus. Contrariæ enunciationes sunt, affirmatio & negatio eiusmodi, quæ ex uerbis ac extremis ijsdem, non ambiguis cōstent, ad idē comparatis, secundum idem, eodem modo, eademq; ex parte, & tempore eodem. Cuiusmodi hæ sunt, omnis homo est animal, nullus homo est animal. In quibus extrema eadē sunt, non ambigua, atq; ad idem & eodem modo, atq; eodem tempore intelliguntur. Hæc omnia sunt adeò necessaria, ut si aliquid sit prætermißum, repugnātia omnis è medio tollatur. Primùm debent esse eiusmodi, ut altera aiat, altera neget. Itaq; hæ non sunt contrariæ, homo est iustus, homo est iniustus. Deinde eadem uerba esse debent, quæ quoniam non sunt in his duabus, Aristoteles est philosophus, Aristoteles non est bonus, idcircò non sunt contrariæ. Iam uerba homonyma soluunt repugnātiam. Vnde fit, ut hæ non sint repugnātes, cancer serpit, cancer non serpit. Negatio uera est in sidere, & in morbo affirmatio. Alias quoq; partes omnes oportet obseruari ut extrema ad idem referātur, quod cùm his non conueniat, binarius est duplus, binarius non est duplus: si in altera binarius unitati cōparetur, in altera ternario, non erunt contrariæ. Rursus secundum idem & ex eadem parte. Linea est maior extremitate, linea non est maior extremitate, si in affirmatione longitudo spectetur, in negatione latitudo, uera utraq; est, atq; ita non sunt repugnantes. Hæ etiam, dormiens non uidet, dormiens uidet, contrariæ dici nō possunt,*

Quæ contrariæ.

*sunt, si secundum actum altera intelligatur, altera secundum potestatem, non enim idem in utroq; seruatur modus. Postremò eadem in utraq; enuntiatione sumenda est temporis differētia: non enim hæ contrariæ dici possunt, Aristoteles uixit, Aristoteles non uiuit, nec quæ sunt his similes.*

*De generibus contrariarum enuntiationum.*

CAPVT. VIII.

*Tria contrariarũ enuntiationũ genera.*

*GEnera cõtrariarum enuntiationũ tria sunt, quod in primis ex notis, quæ rebis uniuersis adiunguntur, intelligi potest. Aliter enim hæ duæ affectæ sunt, omnis uirtus est habitus, nulla uirtus est habitus. Aliter hæ, omnis uirtus est habitus, quædam uirtus non est habitus. Aliter, hæ quædam uirtus est habitus, quædam uirtus non est habitus: nec possunt aliæ ingatæ repugnare. Idem etiam colligere possumus ex ui & natura repugnantiæ. Cùm enim repugnare enuntiationes aliquæ dicuntur, id fit, aut quia simul ueræ & falsæ, aut quia simul ueræ tantùm, aut quia simul falsæ tantùm esse non possunt. Hæc autem tria in his tribus reperiuntur: quare tantùm erunt tria contrariarum enuntiationum genera, contradicentes, aduersæ, & subcõtrariæ. De quibus sigillatim dicendum est. Contradicentium duo sunt genera, unum earum, quæ in rebus sunt uniuersis: alteræ, quæ in rebus singulis. In rebus singulis contradicentes sunt, affirmatio & negatio, ita contrariæ, ut quod altera dicit de re aliqua singulari, idem altera neget. Vt Philippus est rex Hispaniæ, Philippus non est rex Hispaniæ. Rerum uniuersarum contradicentes sunt duæ enuntiationes ita contrariæ, ut sit altera aiens, altera neg ans.*

*Duo genera cõtradicentium.*

negans: altera uniuersa, altera specialis: ut omnis uoluptas est in bonis, quædã uoluptas non est in bonis: nullum malum est expetendum, quoddam malum est expetendum. Aduersæ sunt, affirmatio & negatio cõtrariæ ambæ uniuersæ siue de toto genere: ut omne animal sentit, nullum animal sentit. Subcõtrariæ sunt affirmatio & negatio repugnantes, ambæ speciales: ut quidam homo ambulat, quidam homo non ambulat. Contradicentes ab aduersis & sub contrarijs his separantur differẽtijs: hæ sola qualitate repugnant: nam altera ait, altera negat, quantitatem habent eandem, sunt enim aut uniuersæ ambæ, aut speciales. Illæ uerò & qualitate pariter & quantitate, quemadmodum ex definitione percipi potest. Præterea contradicentes sese fundunt per omnia genera pronuntiatorum. Nulla est enim enuntiatio, cui altera non repugnet aliqua contradictorio nomine. Aduersæ uerò & subcontrariæ reperiuntur in certo genere: aduersæ in his quæ sunt uniuersæ & de toto genere dumtaxat, contrariæ in solis specialibus. Ita principium Aristoleum omni affirmationi contraria est aliqua negatio, & omni negationi aliqua affirmatio repugnat, intelligendum est contradictorio nomine. In omnibus his repugnantium enunciationum formis uitia accidere solẽt, quæ repugnantiam tollũt è medio. In aduersis uitium est, si in utraq; eidem uoci nota addatur specialis: quo errore fit, ut hæ non sint aduersæ, omnis hominis facultas aliqua est immortalis, & omnis hominis facultas aliqua non est immortalis, sunt enim ambæ ueræ, affirmatio de facultate intelligẽdi, negatio de ui & facultate sentiẽdi. In subcontrarijs

Aduersæ enũtiationes.

Subcõtraria.

Vitia contrariarũ enũtiationum.

peccatur contrario errore, si in utraq; uoci eidem nota adhibeatur uniuersi generis: cuiusmodi hæ sunt hominis alicuius facultas omnis est immortalis, hominis alicuius nulla facultas est immortalis. Nam utraq; falsa est, quod non patitur subcontrariarũ natura. In cõtradicẽtibus utroq; modo peccatur, siue uoci eidem addatur in utraq; specialis nota, siue generalis. Mutanda est prorsus dictionum omnium quãtitas: ut cui in una nota adiecta est specialis, in altera adhibeatur generale signum. ac id quidem, cũ extrema simplicia sunt, seruetur necne, facilè est uidere. Cùm autem composita sunt, sæpè decipi contingit, ut contradicentes existimentur, quæ ob eam causam, quam aßignauimus, illo nomine non repugnãt: cuius generis sunt, omnis hominis alter oculus est dexter, alicuius hominis alter oculus non est dexter. Omnis contradictionis pars altera est uera, alicuius cõtradictionis pars altera nõ est uera. Oportuit enim illis affirmatiõibus has negationes opponere, alicuius hominis neuter oculus est dexter, alicuius cõtradictionis neutra pars est uera.

De legibus, quas in ratione ueri & falsi contrariæ enuntiationes inter se seruant.

CAP. IX.

Contrarias enuntiationes ad uerum & falsum non eodem modo sese omnes habere perspicuum est. Quod qua ratione fiat, explicandum est nobis in singulis. Contradicentes, quæ maximè repugnant, diuidunt inter se uerum & falsum: nam nec ueræ simul esse possunt, nec falsæ. Vnde principium illud contradictionis celebre ortum est, de omni re uera est affirmatio aut negatio,

*Lex contradicentium.*


gatio, de nulla ambæ simul. Id quia dignitatis uim obtinet, probari non potest, sed ex ipsa fidem reliqua, quæ dicemus, accipient. Aduersæ enuntiationes uerum diuidunt, non falsum. Veras enim esse ipsarum natura nõ patitur, falsæ simul sæpe reperiuntur: In his præsertim rebus, quæ contingentes uocãtur, & non sunt ex necessitate coniunctæ: cuiusmodi sunt, omnis homo est albus, nullus homo est albus. Veras autem esse non posse aduersas enuntiationes, argumento ducente ad incommodum ostenditur, quòd scilicet futurum sit, ut & contradicentes simul sint ueræ. Esto enim hæc uera sit enuntiatio, omnis homo albus est, ueram quoq; necesse est esse specialem, quidam homo albus est. Cùm autem uniuersa negatio uera sit, nullus homo albus est, quæ uniuersæ affirmationi aduersatur, fiet, ut ueræ hæ sint, nullus homo albus est, quidam homo albus est; quas perspicuum est esse contradicentes. Subcontrariæ ueræ esse possunt in illo eodem genere rerum, in quo falsæ sunt aduersæ: ut quidam homo ambulat, quidã homo non ambulat. Falsæ nunquàm reperiuntur. Id uerò probare eodem argumento possumus incommodo urgente: quia accideret ueras etiam eas fore, quæ contradictorio nomine opponuntur. Nam esto hæ sint falsæ subcontrariæ, quidam homo ambulat, quidam homo nõ ambulat, oportebit igitur ueras esse uniuersas his contradicẽtes, omnis homo ambulat, nullus homo ambulat. At hæ, quæ sunt de toto genere, aduersæ sunt, sequetur ergo, aduersas simul esse ueras, sed his ueris existentibus, conclusimus paulò ante ueras esse contradicentes: igitur si sint subcontrariæ falsæ, efficitur proculdubiò

Lex aduersarum

Lex subcontrariarum.

*contradicentes enuntiationes esse ueras.* Solet uulgus Dialecticorum quartum genus contrariarum enuntiationum constituere, sola quantitate repugnantiū, quas uocāt subalternas: cuiusmodi sunt omnis homo est iustus, quidam homo est iustus, nullus homo est iustus, quidam homo non est iustus. Sed cùm hæ nec uerum inter se diuidant, nec falsum, non uideo cur in contrariarum numero haberi debeant. Sed hæc omnia genera in proposita tabula descripta sunt.

Sub alterna.




De usu contrariarum enuntiationum,

CAP. X.

HAec, quæ de cōtrarijs enūtiationibus allata sunt, ad examinandam ueritatem ac falsitatē pronunciatorum referri debent. Cùm enim uera sit enuntiatio, an falsa

an falsa, ex ipsamet, non satis cõstat, quod in multis usu uenit, ad contrarias confugimus, ex quibus ueritas propositæ quæstionis exploratur. Vt autem id præstari cõmode poßit, quænam in singulis ualeat argumentandi ac colligendi ratio, aperiendum est. Ex aduersis efficax argumentum ducitur ad euertendum pronuntiatum, nõ ad confirmandum. Rectè enim sic colligimus, enuntiatio hæc uera est, nullus piscis respirat, falsa igitur est illa, omnis piscis respirat. Contra autem ex unius falsitate, alterius ueritas non aptè colligitur, nisi in eo genere pronuntiatorum, quorum extrema ita sunt necessario uinculo connexa, ut separari non poßint. Cùm enim falsum sit nullum hominem esse animal, uerum erit, omnem hominem esse animal. Ex subcontrarijs depromitur argumentum, quod ad confirmandum ualet, non ad refellendum. Si enim falsa sit enuntiatio, quæ dicit quendam hominem esse rationis expertem, uera erit eius subcontraria, quidam homo non est rationis expers. At si uera sit enuntiatio, quidam homo albus est, non protinus efficitur, falsam esse alteram quidam homo albus non est: cùm ambæ poßint esse ueræ. Hæc ratio colligendi ualet in eo genere rerum, quæ sunt ex neceßitate, quemadmodum in aduersis diximus. Quod ex contradicentibus ducitur argumentum ualet, ad confirmandum, & ad refellendum. Si enim altera ex contradicentibus uera sit, ex neceßitate sequitur falsam esse alteram, qua existente falsa, alteram ueram esse oportet.

*Argumentũ ex aduersis ductum*

*Argumentũ ex subcontrarijs*

*Argumentũ ex contradicentibus*

De Enuntiationum æqualitate siue isodynamia, quæ uulgò æquipollentia dicitur.

CAP. XI.

O 3 Isody-

Isodynamia, quæ enunciationes idem ualeant demonstrat, quam consensionem seu concordiam rectè appellare possumus, definitur duarũ enũciationũ nõ iisdẽ omnino uerbis, in quantitate, & qualitate, uero itidem & falso similitudo. Disciplina hæc constat tribus præceptis. Propositis duabus disparibus, seu contradicentibus enunciationibus, si alterutri adiungatur in capite negatio, idem efficient. Constituamus enim has duas, omnis homo est animal, aliquis homo non est animal: præponamusq; priori non negationem, tùm hæc enunciatio, non omnis homo est animal, idem quod illa efficiet, aliquis homo non est animal: aut si huic præponamus, idem quod illa declarabit: ut, non aliquis homo nõ est animal, & omnis homo est animal. Sint rursum hæ duæ, aliquis homo est animal, nullus homo est animal, nõ negatione alterutri præposita, idem fiet: nam hæ duæ idem ualent, nonnullus homo est animal, aliquis homo est animal: & hæ, non aliquis homo est animal, & nullus homo est animal. Secundum præceptum, propositis duabus aduersis enunciationibus, si alterutri negatio postponatur, id est, subiungatur, idem ualebunt. Ita hæ duæ idẽ declarant, omnis homo est animal, & nullus homo est animal: itemq; hæ, omnis homo est animal, nullus homo non est animal: cùm sint hæ duæ aduersæ, omnis homo est animal, nullus homo est animal. Tertium præceptum, si duæ enunciationes proponantur ὑπάλληλαι, id est, quæ inter se ita affectæ sint, ut una alteram complectatur, quas uulgò subalternas appellant, earumq; alterutri ita gemina adiungatur negatio, ut una in principio locetur, altera in medio, idem declarabũt: ut si his duæ

Primum præceptũ.

Secundum preceptũ.

Tertium præceptũ.

*duabus, omnis homo est animal, aliquis homo est animal: uel his, nullus homo est animal, aliquis homo non est animal: utroq; loco negatio adiungatur, eandem uim habebūt.* Nam *& hæ duæ, omnis homo est animal, non aliquis homo non est animal: & hæ duæ, non omnis homo non est animal, aliquis homo est animal.* Itemq; *hæ duæ, nullus homo non est animal, aliquis homo non est animal, idem ualent.* Isodynamia *ueritas pronunciatorum exploratur, ex qua argumentum efficax ducitur, & ad confirmandum, & ad refellendum.* Nam *si altera ex enunciationibus idem ualentibus uera sit, ueram esse alteram concludere licebit, & ex unius falsitate, falsitas alterius rectè colligetur.* *Isodynamiæ usus*

De *reciprocatione seu conuersione pronunciatorū.*

CAPVT XVI.

R*Eciprocatio affectio quædam est simplicium pronunciatorum, quam ad hunc modum licebit aptè definire.* Reciprocatio *est ordinis uerborum, ex quibus enunciatio constat, in præposterum mutatio: scilicet in qua subiectum in attributum commutatur, & attributum in subiectum: ut nulla uoluptas est bonum, nullum bonum est uoluptas.* Huius *duas* Arist. *formas constituit, quibus* Boëtius *tertiam adiecit, ex* Topicis *fortè sumpta occasione.* Primam ἁπλῆν. Græci *dicunt, nostri simplicē, quæ & in totum potest appellari.* Ea *est, cùm mutatis subiecto & attributo, eadem tum quantitas, tum qualitas retinetur: ut nullus homo est lapis, nullus lapis est homo.* Hoc *genere conuersionis reciprocantur, uniuersa negatio, & specialis affirmatio: ut, nullum bonum est malum, nullum malū est bonum: quidam homo est albus,* *Quid reciprocatio.* *Simplex reciprocatio.*

quoddam album est homo. Vniuersa affirmatio & specialis negatio non recipiunt huiusmodi conuersionis modum. Non enim si omnis homo est animal, sequitur omne animal esse hominem: & rursum, cùm uerum sit quoddam animal hominem nō esse, non protinus efficitur, quendam hominem non esse animal. Huius formæ proprium est, ut inter enunciationem quæ conuertitur, & eam in quam fit reciprocatio, mutua sit argumentatio: uicissimq; altera ex altera rectè colligatur. Alterum genus conuersionis est ex parte solùm, quod uulgò secundum accidens dicitur: cùm præter extrema, sola mutatur quantitas, qualitas autem eadem retinetur. Reciprocantur hoc genere uniuersa affirmatio, & uniuersa negatio: ut, nullus homo est lapis, quidam lapis non est homo: omnis uirtus est habitus: quidam habitus est uirtus. In cæteris non ualet hic reciprocationis modus. In hoc genere non est mutua consecutio inter ipsa pronunciata, quemadmodum in priori: sed ex ea, quæ reciprocatur, altera dumtaxat colligitur. Quòd si argumentatio conuertatur, non respondebit: non enim speciali uniuersa consequens est. Tertium genus est per cōtradictionē, cùm finitæ uoces in infinitas mutantur, manente eadē qualitate & quantitate. Pertinet hoc genus ad duas formas enunciationum, uniuersam affirmationem, & specialem negationem: ut, omnis uirtus est expetenda, omne non expetendum est non uirtus: quidam homo non est lapis, quidā nō lapis nō est non homo. De hoc tertio genere nil præcipit Aristote. in Analyticis: eius enim doctrina parùm ad reductionem syllogismorum conducere uidebatur. In reciprocatione illud in primis diligē

*Conuersio ex parte.*

*Conuersio per cōtradictionem.*

*Quid seruandū in reciprocatione.*

*ter est obseruandum, ut extrema eadem maneant, hoc est, ne confundantur, sumanturq; eodem modo, ac quicquid in altera enunciatione subijcitur, id totum in altera sit attributum, ac contrà. Quare si quis huiusmodi enunciationes, omnis manus est in corpore, nullum uas est in aqua, ita conuerterit, corpus aliquod est in manu, nulla aqua est in uase, uehementer errabit. Sunt enim hoc potiùs modo conuertendæ, quod est in corpore est manus, nil in aqua contentum uas est. Vbi eadem seruantur extrema, & eodem modo sumuntur. Cauendum est etiam in his quæ sunt futuri temporis, aut præteriti, ne homonymia fallamur. Oportet enim uoces nō solùm eàdem significationem retinere, sed ad idem tempus referri. Hæ igitur enunciationes, nullus senex erit puer, nullus puer fuit senex, si ad hunc modum reciprocētur, nullus puer erit senex, nullus senex fuit puer, peccatur ex homonymia. Cùm enim dico nullum senem fore puerum, id significo, eum qui iam senex est nō posse iam repuerascere, nec futurum puerum. Cùm autem dico nullum puerum fore senem, significo, eum qui puer est, non futurum senem, ita uox puer modò ad eum qui est, modò ad eum qui futurus est, refertur, quod sanè homonymè fieri indicat Arist. Quare illarum hæc erit apta & uera reciprocatio, nullus futurus puer, est senex, nullus qui fuit senex, puer est. Reciprocatio enunciationum confert ad reuocandas imperfectas ratiocinationes ad perfectas primæ formæ: & ob eam causam, priusquàm disputationem de ratiocinatione aggrediatur Aristote. de ea in principio Analyticorum agit diligenter. Examinatur quoq; ueritas & falsitas pronunciatorum cō-* Vtilitas reciprocationum.

 *uersione*

*uersione. Nam ex simplici argumentum efficax ducitur & ad confirmandam, & ad refellendam utramuis enunciationem: rectè enim sequitur, si nulla planta sentit, nil quod sentiat fore plantam, & contrà. Ita si uera altera sit, ueram esse alteram est necesse. Ex ea quoq; quæ est per contradictionem, sumitur argumentandi ratio ad confirmandum & ad refellendum, nam quæ reciprocatur enunciatio, & illa in quam mutatur, sese mutuò inferunt: si enim omnis homo est animal, quicquid est non animal, erit non homo: & uicissim rectè sequitur, quicquid est non animal, est non homo, omnis igitur homo est animal.* Ex eo genere conuersionis, *quod ex parte tantùm est, petitur argumentum ad confirmandum speciale pronunciatum, & ad refellendum uniuersum.* Si enim *omnis homo est animal, uera sit enunciatio, ueram esse & eam oportet, quæ dicit, quoddam animal esse hominem. Quòd si falsa sit specialis, quidam lapis est homo, falsam necesse est esse uniuersam, omnis homo est lapis.* Ac *de repugnantia enunciationum simplicium, æqualitate, reciprocatione, tum de earundem affectionũ usu, quo scilicet pacto ipsis ueritas & falsitas pronunciatorum examinetur, hæc dicta sint.*

### *Quid enunciationes simplices præsentis & præteriti temporis, à futuris differant.*

CAPVT XIII.

D*E proposita quæstione satis obscurè Arist. disseruit, cuius breuiter à nobis explicanda sententia, est, & in pauca conferenda. Sumendum autem initium* *Rerum diuisio.* *est à diuisionibus quibusdam rerum, quarum diuersitatẽ, differentia enunciationum sequuntur.* Res *aliæ sunt ex necessi-*

*necessitate, aliæ esse non possunt. Alijs utrunq; conuenit, ut esse poßint & non esse, quæ contingentes appellantur. necessariæ, quædam simpliciter, ac omnino tales sunt, ut hominem esse animal, cœlum uolui.* Aliæ *ex adiunctione, seu ex hypothesi: ut dum sedet Socrates, Socratem sedere est necessarium, quia dum sedet, non potest non sedere.* Res *impoßibiles eandem recipiunt diuisionem.* Aliæ *impoßibiles sunt simpliciter: ut hominem esse lapidem: aliæ ex hypothesi: ut, sedente Socrate, Socratē non sedere.* Rerum *contingentium tria sunt genera: aut fortuitæ sunt, aut in nostra sunt potestate, aut ea illarū est uis, ut eueniant, & non eueniant.* Fortuitæ *sunt, quæ secus atq; institueramus eueniunt: ut, fodientem thesaurum inuenire, proficiscentem aliquò, amico, quem minimè inuenire sperabat, occurrere.* In *nostra potestate sitæ sunt, quæ consilio iudicioq; nostro geruntur: ut ambulare, cœnare.* Res *autem, quarum ea uis est, ut eueniant & non eueniant, sunt, ut, gemmā frangi, aut non frangi: uestem uri, aut non uri.* Ex *his rerum differentijs uaria nascuntur genera pronunciatorum.* Alia *sunt necessaria, impoßibilia alia, alia contingentia.* Hæc *autem & in præsentibus, & in futuris, omnia reperiuntur.* Omnis *homo est animal, homo est lapis, homo ambulat, præsentis temporis sunt: quarum prima est necessaria, altera impoßibilis, tertia contingens.* Sol *cras orietur, cœlum quiescet,* Petrus *ambulabit, uerba accipiunt futuri temporis, & eodem, quo priores, modo affecta sunt.* Necessaria *enunciatio & impoßibilis duplices sunt, quemadmodū & res ipsæ.* Aliæ *omnino ac simpliciter, aliæ ex hypothesi.* Absolutè *necessaria non potest*

*Pronūciaterum differentiæ*

test esse falsa: ut homo est animal, sol cras orietur. Ex hypothesi potest quidem simpliciter, non tamen manente hypothesi: cuius generis est, Socrates sedet, ipso sedente. Fieri enim potest ut sit falsa, sed non quamdiu sederit. Impoßibilis omnino ea dicitur, quæ nullo modo potest in ueram cõuerti: ut homo est lapis. Ex adiũctione, quæ potest quidem uera fieri, sed non quãdiu hypothesis mãserit: ut sedente Socrate, Socrates non sedet. Contingentes quoq; enunciationes rerum differentiam sequuntur.

Quæstionis explicatio. Nunc ad explicandam quæstionem accedamus. Cùm enũciationes aliæ sint ex instanti, aliæ ex præterito, aliæ futuro tẽpore, cõmune id omnibus est, ut aduersæ uerũ diuidant, subcontrariæ falsum, contradicentes uerum & falsum. Itaq; contradicentiũ omnium ueram alterã esse oportet, alteram falsam. Interest hoc tamẽ, quòd earum quæ de rebus præsentibus aut præteritis aliquid dicunt, altera definitè ac certò uera est, altera definitè ac certò falsa. Harum enim, Arist. fuit Philosophus, Arist. nõ fuit Philosophus, affirmatio est definitè uera, negatio definitè falsa. Voco autem enunciationẽ definitè uerã, necessariam, aut simpliciter, aut ex hypothesi. Definitè falsam, impoßibilem, aut simpliciter, aut ex hypothesi. Rursum harum, Petrus ambulat, Petrus non ambulat, altera uera est definitè, altera falsa. Ambulante Petro, affirmatio est necessaria ex adiunctione, negatio ex hypothesi impoßibilis. At in his, quæ de rebus futuris & contingentibus aliquid enunciãt, tametsi (quemadmodũ diximus) alterã necesse sit esse ueram, alterã falsam, nõ est una certè, id est, definitè uera, altera certè falsa. Id multis rationibus Arist. confirmat, sed hac possumus esse cõtenti.

Rerum necessitas sequitur necessitatem eunciationum, & uicissim ex necessitate rerum concluditur pronunciatorũ necessitas. Si igitur enunciationes, quæ de rebus futuris aliquid dicũt, essẽt definite ueræ, aut definite falsæ, oporteret res quoq; futuras certe atq; ex necessitate euenire, aut non euenire: at id absurdum est, & incommodum maximum, ita enim fieret, ut nec quicquam esset contingens, nil casu fieret, nil fortuitò, & liberum hominis tolleretur arbitrium, quare relinquitur, in enunciationibus, quæ res futuras enunciant, contingentes tamen (nam quæ de necessarijs aliquid dicunt, cuius generis est, cras orietur Sol, non minus sunt necessariæ, quàm præsentes) non esse alteram definite ueram, alteram definite falsam, hoc est, neq; absolute & omnino necessariam, nec ex hypothesi. Itaq; tametsi ita futurum sit, ut sit Petrus cœnaturus noctu, enunciatio Petrus cœnabit uera quidem est, nullo tamen modo necessaria. Illa enim manente hypothesi ut sit cœnaturus, fieri potest ne cibum sumat. Non ita in præsentibus & præteritis. Nam quod factum est, non potest non fuisse, & quicquid est, quamdiu est, necesse est esse. Multa hic obijciunt, sed hoc unum tantum afferemus, quod ad quæstionis intelligentiam facere uidebitur, cætera alio loco disputabimus. Obiectio. Si Socrate ambulaturo, enunciatio, quæ dicit Socrates ambulabit, nullo modo est necessaria, potest esse falsa illa manente hypothesi, quod ergo fieri potest, in actũ redigamus, sit falsa, atqui ueram esse statueramus, eadem gitur enunciatio simul uera erit & falsa. Cui obiectioni ita est occurrendum. Solutio. Enunciatio, quæ enunciat Socratem ambulaturum, etiam hypothesi manente falsa

esse

*esse potest, non est enim ullo modo necessaria: id autem quod postulatur, ut quod fieri potest in actū redigatur cōcedi nō debet, nisi sublata è medio hypothesi.* Alioqui *id proculdubiò eueniret, eandē enuntiationē simul uerā esse & falsam.* Hæc *sat sit hoc loco de proposita quæstione attigisse, quibus summā ex disputatione* Aristotelea, *quā difficilè satis & obscurè pertractauit, breuiter subduximus*

De *Enuntiationibus infinitis.*

CAPVT. XIIII.

SImplices *enuntiationes, aliæ ex extremis constant finitis, ut homo est animal: aliæ ex altero infinito, aut utroq;, cuiusmodi sunt; homo est non iustus, non homo est non iustus.* De *prioribus illis dictum est hactenus à nobis.* Nunc *quæ ad infinitas spectant, paucis sunt perstringenda.* Principiò *illud intelligi oportet, repugnantiæ, æqualitatis seu concordiæ, reciprocationis, eandem in his, atq; in cæteris esse rationem.* Itaq; *ea omnia, quæ de finitis pronuntiatis statuta sunt, uerè infinitis licebit accommodare.* Restat, *ut quē consequutionis modum inter se seruent, & cum simplicibus, aperiamus.* Quod *his tribus præceptis complectemur, primū est.* Enūtiationis *subiecti tantùm infiniti nulla est, cum infinitis, aut finitis enuntiationibus consequētiæ ratio.* Ita *hæc, nō homo est animal, nulla ratione neq; cum altera infinita, neq; cum ea, quæ ex finitis constat extremis potest componi.* Secundum *præceptum:* Enuntiatio *attributi infiniti cum ea, quæ finitum habet attributū, sic composita est, ut ex affirmatione infiniti attributi*

*Primum preceptū.*

*Secūdum preceptū.*

*(sit modò*

(sit modò ipsum totum infinitum) rectè negatio finita colligatur, & uicißim retrò commeet, ex negatione affirmatio. Sic enim rectè colligimus, homo est non iustus igitur homo non est iustus. Et contra ualet argumentum, homo non est iustus, igitur est non iustus. De hac posteriore forma argumentandi à plerisq; ambigitur, sed Arist. maximè probatur ita colligēti, Socrates nō est sapiēs, igitur est nō sapiēs. Tertium præceptū: Quando attributum cōpositum est, & pars altera finita, altera infinita, ex affirmatione attributi infiniti ex necessitate colligitur finita negatio, at negationi nullo modo affirmatio consequens est. Ex hac enim affirmatione, Socrates est homo non iustus, aptè concluditur negatio, Socrates non est homo iustus. Ex negatione autem affirmatio haudquaquàm efficitur. Nam cùm non sit Socrates, uera ipsa negatio est, falsa affirmatio. Aristo. priuantium quoq; meminit, & eas cum simplicibus & infinitis componit. Cuius disputationis summa his duobus præceptis continetur. Ex priuante enuntiatione (uoco autem priuantem, cuius attributum notat priuationem) infinita affirmatio colligitur, non tamen retrò commeat. Recta est argumentatio, homo est iniustus, igitur est non iustus. At non rectè sequitur, est non iustus, igitur est iniustus. Nam lapis non iustus est, iniustus autem non uerè dicetur. Alterum præceptum: Ex priuante negatio finiti attributi ex necessitate colligitur, ex negatione uerò affirmatio minimè sequitur. Quod enim iniustum est, non esse iustū uerè dicere licet, id autem non conuertitur: quod ex superiore constat exemplo. Hæc fermè disputationis de infinitis enūciatiotibus summa est.

Tertium præceptum.

Præceptum primum.

Alterū præceptum.

De modi-

## De modificatis enuntiationibus, quas uulgò modales appellant,

CAP. XV.

Simplex enūtiatio. quot modis dica.

Simplices enũtiationes eas hactenus appellauimus, in quibus ueritas aut falsitas simpliciter spectatur, non ex adiunctione, quæq; ex multis non conflantur enũtiatis. Alio modo simplices uocantur eæ, quarum uerbum simplex est, nullaq; nota insignitum, harum præsertim quatuor, necesse, poßibile, impoßibile, contingens. Non simplices autem sunt, in quibus illarum notarum aliqua ponitur: ut necesse est hominem esse animal, cõtingit hominem ambulare. Itaq; hæ & simplices, & nõ simplices dicuntur: sed alia atq; alia ratione. De harum enuntiationum repugnantia, æqualitate, & reciprocatione dicendum est nobis, quoniam paulò aliter fieri, atq; in simplicibus, uidentur. Cumq; ex modis omnia pendeant, qui modi sint contrarij, qui idem ualeant, explicandum erit. Scio aptiùs hoc pacto modos designari necesse, quod potest esse, quod potest non esse, quod accidit. Sed in re alioqui obscura & difficili, simplicißimis ac breuißimis, quoad fieri poterit, uocibus uti præstabit, quæ sunt à Dialecticis maximè receptæ. Principio illud intelligi oportet, cõtingentis nomen accipi bifariam, quâ significat id quod potest esse & non esse: in qua significatione sumptum in tres partes distribuitur, quod rarò euenit, quod frequentiùs, quod ex æquo in utranq; partem cadere potest. Sumitur quoq; quã idem ualet quod poßibile. Atq; hoc pacto toto hoc capite usurpabitur à nobis. Inter modos genera omnia repugnantiæ reperiuntur. Aduersi modi sunt impoßibile, & necesse,

Cõtingẽs duobus modis dicitur.

Modi aduersi.

necesse, & qui cum his, consentiunt, impoßibile, impoßibile nõ: necesse, necesse non. Sunt enim hi modi generales, quod ipsorũ significatu facile est deprehendere. Modi contradicentes sunt, poßibile & impoßibile, necesse & poßibile non. Subcõtrarij, speciales, poßibile, & poßibile non. Hypallili, hoc est, subalterni, necesse & poßibile, impoßibile & poßibile non. Aequalitas modorum & consensus atque repugnantia duobus modis intelligitur, in primis ex ordinibus, quos Aristo. constituit. Cùm enim unusquisq; modus quadrifariã uarietur, aut omnino affirmetur, ut poßibile, aut præpositam tantùm habeat negationem, ut non poßibile: aut postpositam, ut poßibile non: aut præpositam simul & postpositam, ut non poßibile nõ: sintq; modi quatuor, quatuor ordines efficiũtur: quorũ alij alijs sunt aliquo modo cõtrarij, qui autem in eodem ordine collocantur, sunt idem ualentes. Ordines autem ex subiecta descriptione intelliguntur.

Contradicentes

Subcontrarij.

Primus ordo.


Amabimus
Possibile,
Contingens,
Nõ impossibile,
Non necesse nõ,

Secundus ordo.

Edentuli
Possibile non,
Cõtingens non,
Nõ impossi. nõ,
Non necesse.

Sub contrarij

Contradicentes,




Contradicentes.

Contrarij

Tertius ordo.

Iliace
Non possibile,
Nõ cõtingens.
Impossibile.
Necesse non,

Quartus ord.

Purpurea
Nõ possib. nõ,
Nõ cõting. nõ.
Impossibi. nõ,
Necesse,

Explicantur quoq; concordia & repugnantia modorum his quatuor uocibus, pulchrè ad eam rem & acutè excogitatis, Amabimus, Edentuli, Iliace, Purpurea. Quo-

Alter modus explicandæ concordiæ.

P rum

rum hæc est interpretatio. Continentur in singulis dictionibus uocales quatuor, a, e, i, u. A, designat modum omnino affirmatum, u, omnino negatũ, hoc est, cui præposita sit negatio, & subiuncta: i, index est modi cum negatione præposita, e, modum notat negationem postpositam habentem. Ac prima uocalis quæcunq; illa sit, modum poßibile designat, secunda contingens, tertia impoßibile, quarta necesse. Vt in dictione amabimus. A uocalis prima nota est modi poßibilis omnino affirmati eadem uocalis secundo loco modi contingentis eadem ratione sumpti, i, impoßibilis negatione præposita, u, necessarij omnino negati. Itaq; ex ea uoce intelligemus, modos hos, poßibile, contingens, non impoßibile, non necesse non, qui in primo ordine collocantur, idem ualere. Contrariæ uoces sunt, Iliace & Purpurea, subcontrariæ, Amabimus & Edentuli, contradicentes, Amabimus & Iliace, Edentuli & Purpurea: subalternæ, Iliace & Edentuli, Amabimus & Purpurea. Hæc, quæ de modis diximus, facile est pronuntiatis accõmodare. Ac primùm quod attinet ad singulares enuntiationes, & cõcordiæ, & repugnantiæ uis tota pẽdet ex modis. Quæ constant ex modis idẽ significantibus, sunt idẽ ualentes: quæ ex contrarijs cõtrariæ. Socratem poßibile est ambulare: Socratem ambulare non est impoßibile, Socratem non necesse est non ambulare, idem possunt, quoniam & modi consentiunt inter se, Socrates potest scribere, Socrates non potest scribere. Contradicentes sunt, Socratem esse lapidem est impoßibile, Socratem esse lapidem est necesse, aduersæ. Nam in illis modi contradictorio nomine repugnant, in his sunt aduersi. In quibus autem

In uniuersis subiecti habenda ratio.

autem subiectum uniuersum est, præter modum ipsius etiã habenda ratio est. In cõtradictione modi possibilis & impossibilis seruãda est eadẽ subiecti quantitas: alioqui erunt ueræ contradicentes enuntiationes: ut, possibile est quoddã animal esse hominem, impossibile est omne animal esse hominẽ. Oportuit enim hanc illi opposuisse, impossibile est quoddã animal esse hominẽ. In contradictione possibilis non & necessarij mutanda est subiecti quantitas. Nã si eadẽ seruetur, erunt ueræ contradicentes: ut, possibile est quoddã animal nõ esse hominẽ, necesse est quoddam animal esse hominem. Ita enuntiasse oportuit, necesse est omne animal esse hominem. In aduersis enuntiationibus impossibilis & necessarij, eandem seruari oportet subiecti quantitatem. Alioqui fiet ut ueræ sint aduersæ: quod in his perspici potest, necesse est quoddam animal esse hominem, impossibile est omne animal esse hominem. In his autẽ, in quibus modi collocantur impossibile, impossibile nõ, uitiũ est, si in utroq; subiecto adhibeatur nota uniuersi generis. Quo fit ut hæ non sint aduersæ, impossibile est omne animal esse hominem, impossibile est nullum animal esse hominem. Postremò in quibus sumuntur necesse & necesse non contrario errore peccatur, si afficiatur subiectum in utraq; speciali nota. quare hæ ob eam causam nõ erunt aduersæ, necesse est quoddam animal esse hominem, necesse est quoddam animal non esse hominem. Hæc in repugnantia consideranda sunt. In æquipollentia uerò id tantum est obseruandum, cùm enuntiationes sunt uniuersæ, ut in enuntiatione modi necessarij, quæ ultima est, subiecti quantitas mutetur.

## De Reciprocatione modificatarum enuntiationũ.

### CAPVT. XVI.

*Enuntiationes modi necessarÿ eodem modo ac simplices recipro.*

Reciprocatio in enuntiationibus modi necessarÿ eodem prorsus modo sese habet, atq; in simplicibus. Vniuersa negatio reciprocatur in uniuersam, & specialem: ut necesse est nullum hominem esse lapidem, igitur necesse est nullum lapidẽ esse hominẽ: aut quendam lapidem non esse hominem. Vniuersa affirmatio in specialem. Necesse est omnem hominem esse animal, necesse est quoddam animal esse hominem. Specialis affirmatio in specialem, ut necesse est quoddam animal uiuere, necesse est quoddam uiuens esse animal. Specialis negatio non reciprocatur. Non enim si quoddam animal non esse hominem est necesse, necesse erit quẽdam hominem non esse animal.

*Enunciationes modi possibilis.*

Enuntiationes modi possibilis eodem etiam modo reciprocantur, quo simplices, & quæ sunt modi necessarij. Quarum exempla inuentu & cognitu facillima sunt.

*Modi impossibilis enuntiat.*

In his autẽ, in quibus modus impossibile collocatur, in sola speciali affirmatione locum habet reciprocatio: quæ in specialem conuertitur: ut, impossibile est quoddam animal esse plantam, igitur impossibile est plantam esse animal. In cæteris locus nullus est reciprocationi. Has enim, impossibile est nullũ hominem esse animal, impossibile est omne animal esse hominem, impossibile est quendam hominem non esse animal, si quis conuertere tentet, non rectam fieri reciprocationem facile intelliget.

*Enunciationes contingentis.*

In enuntiationibus modi contingentis, si contingens, qua cũ possibile cõmeat, accipiatur, idem ac in illis reciprocationis modus est. Si uerò id

notet,

notet, quod potest fieri & non fieri, hoc tantum de eo dixisse sat si, ex affirmatione colligi negationem, & contrà. Si enim cōtingit hominē ambulare, cōtingit eūdē nō ambulare, & uicißim retrò cōmeat argumētatio. In pronuntiatis huiusmodi contradictio redditur, negatione aut præposita aut sublata, aut explicato enuntiationis sensu. In hoc enim pronūtiato, contigit hominem uigilare, duæ hæ enuntiationes continentur, fieri potest ut homo uigilet, fieri potest ut homo non uigilet. Quæ autem huic coniunctioni contradicit, contradicit etiam priori illi affirmationi.

## De copulatis enuntiatis.

CAP. XVII.

HActenus quæ ad simplices pertinent enuntiationes persequuti sumus. Superest ut de coniunctis ac copulatis breuiter agamus, quæ enuntiata ὑποθετικὰ uocantur. Est autem (quemadmodum diximus) copulata enuntiatio, quæ ex multis constat simplicibus uinculo aliquo connexis, aut per se aptè cohærentibus. Eius tria potißimùm genera inueniuntur, connexum, in quo si coniunctio (conditionalem uocant) adhibetur: ut si homo est, animal est. Coniunctio, in qua &, aut similis adhibetur: ut, cœlum uoluitur perpetuò, & figuræ est sphericæ. Disiunctio, in qua, uel, aut ue ponitur: ut aut dies est aut nox est. Veritatis ac falsitatis, affirmationis & negationis, & repugnantiæ diuersa in his atq; in simplicibus ratio est, de quibus est nobis dicendum. Coniunctio uera est, in qua utraq; pars est uera: falsa, cuius uel alterutra pars est falsa, uel utraq;. Cœlum & rotundum est, & uoluitur, uera est. Cœlum rotundum

Cōnexum

Cōiunctio

Disiūctio

est, & mortale, falsa. Disiunctio propriè est ex repugnantibus, ut aut dies est, aut nox est. Disiunctio uera est ea, cuius alterutra pars est uera: falsa, cuius utraq; pars est falsa. In his, non ex partibus, hoc est, simplicibus pronunciatis, sed ex coniunctione petuntur affirmatio & negatio. Quod enim in simplicibus est uerbum, id ipsum efficit in compositis coniunctio. Quare negans erit enunciatio, cùm toti negatio præponetur enunciato: ut non & cœlum uoluitur, & rotundum est: non aut dies est, aut nox est. In coniunctione & disiunctione sola reperitur contradictio. Fiunt autem contradicentes, negationis in principio adiunctione, ut & homo est, & animal est: non & homo est, & animal: aut dies est, aut nox est: non aut dies est aut nox est. Sed negationum sensum intelligere oportet. Coniunctio cùm negatur idem ualet quod disiunctio constans ex partibus contradicentibus: ut non & homo est & animal est, hunc sensum reddit, aut non est homo, aut non est animal. Disiunctio uerò negans idem significat, quod coniunctio partium contradicentium: ut non aut dies est, aut nox est, idem efficit, quòd coniunctio, & dies non est, & nox non est. Connexum uerum est, si posterius ex priore rectè sequatur, hoc est, si sit recta argumentatio, si uerò non consequatur, falsum. Ita in connexo ueritas totius non pendet ex ueritate partium, sed ex habitudine. Verum enim est connexum, si homo est lapis, est sensus expers: cùm sint partes falsæ. Quare omne connexum uerum, est necessarium: quod in coniunctione & disiunctione non ita sese habet. Negatio in connexo ex coniunctione spectatur. Fit autem, cùm non negatio toti præponitur, atque

*hæc ipsa affirmationi cōtradictorio nomine repugnat. Itaq; harum duarum, si homo est, animal est, non si homo est animal est: prior aiens est, altera negans: & altera alteri contradicit.* Negationis *autem sensus deprehēditur ex affirmationis sensu.* Cùm *enim affirmatio id significet, rectè sequi, homo est, igitur animal est, negationis contraria erit sententia, scilicet non rectè sequi animal ex homine, quæ proculdubiò falsa est.* Adijciūt *præter hæc tria genera, causalem, ut quia homo est, animal est: rationalem, ut homo est, igitur animal est.* Illa *uera est, si partes sint ueræ, recta consecutio, & antecedens causa consequentis.* Vnde *fit ut paucißimæ ueræ reperiantur.* Huius *ueritas duo tantùm postulat, ut sint partes ueræ, & una alteri sit consequens.* Quæ *ex loci & tēporis aduerbijs constant, ad connexum reuocantur. In quo genere hæ sunt, cùm sol lucet, dies est: ubicunq; sol lucet, ibi dies est.* Quæ *hoc modo ad connexa reducuntur.* Si *quo tempore sol lucet, eo dies est: sicubi sol lucet, ibi est dies.*

*Rationalis & causalis.*

Finis libri quinti compositionis Dialecticæ.

# COMPOSITIONIS DIALECTICAE LIBER SEXTVS.

## De instituto, ordine, diuisione ratiocinationis, & principijs eius.

### CAPVT I.



Isputationem de simplicibus uocibus & earum compositione, quam praecedentibus libris absoluimus, proximè sequitur tractatio de argumentatione & formis eius, quarum rationem docere, qua fieri poterit breuitate, hoc libro sexto paramus. Id autem optimè fieri, tum ex compositionis methodo, quam sequimur, tum ex animae functionibus, intelligi potest. Nam enunciatione argumẽtatio compositior est: quare illius disputationi statim haec debet subiungi. Iam tertia mentis functio est ratiocinatio; par est igitur ut tertio loco de ea agatur. Primùm de argumentatione generatim dicendum erat, & differentijs eius, sed quoniam haec secundo libro copiosè pertractata sunt, ad formas eius explicandas progrediẽdum erit. Inter quas praecipuũ locum ratiocinatio obtinet, perfectißima omnium, & ad probandum efficacißima. Quid ratiocinatio sit, ex quibus partibus coalescat, eodem libro secundo docuimus, caetera ad eam pertinentia explicemus. Ratiocinatio multas recipit diuisiones, de quibus sigillatim suis locis dicemus. Prima est, qua

Institutũ

Ordo.

*qua distribuitur in perfectam & imperfectam.* Perfectã *eam uocat* Aristoteles, *quæ præter ea quæ sumpta sunt, nihil aliud requirit, ut necessaria uideatur; qualis hæc est: omne animal uiuit, omnis homo est animal, omnis, igitur homo uiuit: & omnes quæ primæ formæ dispositionem seruant, directo concludentes.* Imperfecta est, *quæ tametsi ex his quæ continet necessariò concludat, unum tamen, aut plura desiderat, ut necessaria uideatur, præter ea quæ sumpta sunt.* Cuius generis sunt *ratiocinationes formæ secundæ ac tertiæ: quarum necessitas ac colligendi uis ut appareat, necesse est reciprocatione, aut syllogismo ad incommodum ducente, aut mutatione sumptionum, quibus instrumentis ad ratiocinationes primæ formæ reuocentur.* Quod *certum erit necessitatis earum argumentum, ac necessaria probatio.* Dici *de toto genere, & de nulla generis parte dici, principia quædã sunt, quibus perfectæ ratiocinationes proximè probantur.* Illud *ad aientes pertinet, hoc alterum ad negantes.* Dici *de toto genere est, quãdo nihil in subiecto sumi potest, cui non conueniat attributum.* Ita *uniuersa affirmatio, omne animal sentit, sub hoc principio continetur.* Quicquid *enim sub animali sumptum sit, de eo sentiens uerè dicetur.* De *nulla generis parte dici, est cùm ab omni eo quod in subiecto comprehensum est, attributum remouetur.* Quod *uniuersæ negationi accommodatur huic, nullũ animal est lapis: nam ab his omnibus quæ sub animali continentur, uerè animal remouetur.* Priore *principio probantur (quemadmodum diximus) ratiocinationes perfectæ aientes: ut si sit propo sita ratiocinatio, omne animal sentit, omnis homo est*

*Dici de toto genere.*

*Dici de nulla generis parte.*

P 5 *animal,*

*animal,igitur omnis homo sentit,ad hunc modum conclusio rectè effici ex sumptionibus ostendetur:propositio omne animal sentit, est de toto genere, de omni igitur quod sub animali sumptũ fuerit,attributũ sentiens uerè enunciabitur:cùm igitur homo sumatur in assumptione, uerè illi sentiens tribuetur. Quare ueris existentibus sumptionibus,omne animal sentit, omnis homo est animal,uera erit conclusio,omnis homo sentit. Negãtes ratiocinationes principio altero ostenduntur:ut ratiocinatio,nullũ animal est lapis, omnis homo est animal, igitur nullus homo est lapis : ita efficax esse demonstrabitur.Propositioni conuenit principium de nulla generis parte dici,igitur ab eo omni quod subiectum complectitur, uerè lapis remouebitur, sed in subiecto continetur homo,scilicet in animali, ergo ab homine uerè lapis remouebitur.Quare si ueræ sunt sumptiones,nullum animal est lapis, omnis homo est animal, uera erit complexio,nullus homo est lapis.*

*De tribus ratiocinationum formis.*

CAP. II.

T*Res formæ sunt,siue tres classes,ad quas omnes ratiocinationes reuocantur. Cùm enim nascantur ex diuersa medij uerbi collocatione, hæc autem sit triplex, aut enim in utraq; sumptione subijcitur, aut in utraq; est attributum:aut in altera subijcitur,& in altera est attributum, tria necesse est efficiantur genera syllogismorum.Prima forma est, cùm mutatur situs medij uerbi,ut in altera subijciatur,in altera tribuatur:ut omne animal sentit, omnis homo est animal, omnis igitur homo sentit. Sunt qui ad primam formam tantùm*

*Prima forma.*

*pertinere*

*pertinere existiment ratiocinationes eas, quarum medium uerbum subijcitur in propositione, & tribuitur in assumptione. Eas uerò, in quibus contraria est medij collocatio, ut sit subiectum assumptionis, & attributū propositionis, ad quartam, quam constituunt, formam spectare. Sed frustrà numerus formarum augetur. Cuius rei uel hoc unum, præter Arist. autoritatem, qui tribus tantùm fuit cōtentus, certißimum est argumentū, quod ex utraq; medij collocatione eadem omnino efficiatur complexio, & quæ ex alterutra nō colligitur, ex altera concludi nullo modo potest: quod sanè in formis diuersis longè aliter cernimus euenire. Nam tametsi commune aliquid habeant, multa habent propria, quibus separantur. Quare pro certo habendum est, siue mediū uerbum in propositione subijciatur, & in assumptione tribuatur, siue contrà id fiat, omnes has dispositiones primæ esse formæ. Secunda forma est, cùm in utraq; sumptione medium uerbum est attributum: ut, nullū album est nigrum, omnis coruus est niger, nullus igitur coruus est albus. Tertia claßis est, in qua uerbum medium subijcitur in utraq; sumptione: ut omnis uirtus est expetenda, omnis uirtus est bona, quoddam igitur bonum est expetendum.* *Secunda forma.* *Tertia forma.*

*Quæ sint incollectiles in omni forma sumptionum connexiones, hoc est, ex quibus nil colligi poßit,*

CAPVT III.

DVæ sunt connexiones pronunciatorū, ex quibus nulla effici potest complexio in ulla forma. Prima est ex duabus negationibus, altera ex duabus speciali- *Connexiones inutiles generales.*

cialibus Vt exempli gratia in prima forma ex his sumptionibus,quoddam animal sentit,quidam homo est animal: & rursum ex his, nullum animal est lapis, nullum lignum est animal,nil prorsus sequitur ex necessitate.Id uerò Aristoteles hoc solo confirmat argumento, quòd inueniantur uerba, in quibus seruata eadem structura ac compositione primum extremum omni parti ultimi conuenit & nulli:quod sanè efficacissimum est, atq; aperte demonstrat,nullum cõplexionis genus colligi necessariò.Id ut appareat,exemplo uno illustremus.Connexio illa prima ex duobus pronũciatis specialibus inutilis prorsus esse ostenditur,quòd inueniantur uerba, in quibus primum extremum toti ultimo non conuenit,scilicet,animal,substantia,bos. Quoddam animal est substantia,quidam bos est animal, omnis bos est substantia. Rursum alia,in quibus extremum primum,seruata eadem structura, nulli inest ultimo, animal, homo, bos. Quoddam animal est homo,quidam bos est animal, nullus bos est homo. Ex his perspicuum euadit priorem illã connexionem enunciationum, quoddam animal sentit, quidam homo est animal, nullam efficere posse conclusionem. Nam si specialis aiens colligatur, aut uniuersa ad hunc modum:quoddam animal sentit, quidam homo est animal,igitur quidam homo sentit, aut omnis homo sentit,sumptis uerbis in quibus primum extremum toti ultimo conuenit,conflabitur similis argumentatio, cuius uerae erunt sumptiones, & falsa cõclusio,hoc pacto: quoddam animal est homo, quidam bos est animal, igitur omnis bos est homo, aut quidã bos est homo. Quare constat priorem illam non esse necessariam,ac proinde

le nec ratiocinationem appellandam. Si uerò aut uniuersa negatio, aut specialis colligatur, scilicet, nullus homo sentit, aut quidā homo non sentit, sumptis alijs uerbis constituetur argumentatio uitiosa: quoddam animal est substantia, quidam bos est animal, igitur nullus bos est substantia, uel quidam bos non est substantia. Vnde fit, ut in priore illa non rectè conclusio ex sumptionibus colligatur. Est igitur modus probandæ inutilis connexionis Aristotelis maximè efficax, quo post hac perpetuò utemur. Connexio ex duabus negationibus, quæ proposita est, eodem modo inutilis esse demonstratur. Verba in quibus primum extremum toti ultimo inest, sunt, primùm animal, ultimum homo, mediū lapis. In quibus primum nulli inest ultimo, nullus homo est lapis, nullus equus est homo, nullus equus est lapis. Iam quæret aliquis, unde fiat ut ex duabus affirmationibus aliquid sequatur, ex duabus autē negationibus nil possit colligi. Rursum quare cōnexio constans ex uniuersis pronunciatis utilis sit, aut certè ex altero: ea uerò, quæ est ex specialibus inutilis prorsus? Posteriori quæstioni ita occurritur: Ratiocinatio aiēs, ex hoc principio uim accipit, quæ cum aliquo tertio conueniunt, inter se sunt consentanea. Negans uerò ex hoc altero, si duorū extremorum alterum cum aliquo tertio consentiat, alterum dißideat ab eodem, necesse est illa inter se dißidere. Tertium autem illud aut singulare est, aut uniuersum. Si singulare sit, nil est, quod principijs adijci prætereà debeat. Si uerò sit uniuersum, ut uera sint principia, necesse est tertium, cui extrema comparantur, uniuersè accipi. Sic enim rectè colligimus, omne animal sentit, homo est animal,

Dubitationes duæ

Soluitur posterior

mal, igitur homo sentit. Rursum, nullū animal est lapis, omnis homo est animal, nullus igitur homo est lapis: quia animal, cui cōparatur extrema, sumitur cum nota uniuersi generis. Cùm igitur in pronūciatis specialibus, medium uerbū, quod tertium est, in neutra sumptione uniuerse accipiatur, hinc fit, ut ex huiusmodi cōnexione nihil colligi poßit. Ad priorē quæstionem ita respondendum est: Ex affirmationibus cōflatur ratiocinatio, quia necesse est (quemadmodum diximus) ut quæ cum aliquo tertio cōueniunt, sint inter se consentanea. Ex negationibus autem non coalescit: non enim oportet, ut quæ dißident ab aliquo tertio, differant inter se.

Solutio prioris dubitationis

De uocabulis quibusdam, quibus singuli Modi notantur.

CAP. IIII.

IN singulis formis diuersi continentur ratiocinationum modi, qui seruata eadē medij uerbi collocatione, ex dißimilitudine pronuntiatorum, in qualitate & quantitate nascuntur. Fuerunt autem ad designandos modos cuiusq; generis uocabula quædam acutè excogitata, quibus & constitutio cuiusq; modi continetur, & ratio reuocandæ imperfectæ omnis ratiocinationis ad perfectam. Vocabula sunt, Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum, Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. Horum hæc est interpretatio. In singulis uocibus collocātur aliquæ ex his quatuor uocalibus, a, e, i, o. A, designat uniuersam affirmationem: e, uniuersam negationem: i, specialem affirmationem: o, specialem negationem. Ac prima quidē

uoca=

uocalis nota est propositionis, quæ in ratiocinatione primum sibi locum uendicat, secunda assumptionis, tertia conclusionis. Hæc ad constitutionem pertinent syllogismorum. Ad redigendas autem imperfectas ratiocinationes ad perfectas, faciunt Consonantes quatuor in eisdem uocabulis contentæ, s.p,m,c. S, indicat enuntiationem, cuius nota est uocalis proximè præcedens, reciprocari debere in totum & (ut aiũt) simplici conuersione. P, uerò conuersione ex parte tantùm, quæ uocatur per accidens. M, hoc declarat, mutandas esse sumptiones. C, non reciprocatione, sed syllogismo ad incommodum ducente probandam esse imperfectam ratiocinationem. Porrò cùm sint quatuor perfecti modi formæ primæ, ex quibus reliqui fidem accipiunt, Barbara, Celarent, Darij, Ferio, modus imperfectus ad perfectum illum reuocabitur, quæ ab eadem incipit cõsonante, Cesare ad Celarent, Baroco ad Barbara, & in cæteris eodem modo.

## De modis primæ formæ.

### CAP. V.

IN prima forma preter duas illas inutiles coniunctiones, quas diximus, omni generi esse communes, duæ sunt etiam connexiones pronuntiatorum, ex quibus nil prorsus efficitur. Prior est, si propositio sit specialis, ut quoddam animal sentit, omnis homo est animal (parùm enim refert uniuersam accipi assumptionem) altera est, si sit assumptio negans, ut quoddam animal sentit, nullus lapis est animal. In priori reperiuntur uerba, in quibus primum extremum toti conuenit ultimo: quoddam animal sentit, omnis equus est animal, omnis equus sensit.

*Duæ inutiles cõnexiones primæ formæ.*

Et rursum

*Et rursum in quibus primum nulli ultimo cõuenit, quædam substantia est animal, omnis lapis est substantia, nullus lapis est animal.* In *posteriori priora uerba sunt, omnis homo est animal, nullus equus est homo, omnis equus est animal.* Verba *nulli inesse, omnis homo est animal, nullus lapis est homo, nullus lapis est animal.* Prior *connexio inutilis est prorsus, quia uerbum medium in nulla sumptione afficitur nota uniuersi generis.* Altera *ex eo uitiosa existit, quòd si negatio colligatur primi extremi de ultimo, quæ sanè sola uidetur posse aptè concludi, fiet ut ex parte totum in primo extremo colligatur.* Ita *hæc connexio non est omnino inutilis, sed ad complexionem solam primi extremi de ultimo.* Aliæ *coniũctiones ab his necessariæ sunt omnes.* Primus *modus est, qui ex duabus uniuersis affirmationibus uniuersam colligit affirmationem primi extremi de ultimo: ut, omne animal uiuit, omnis homo est animal, omnis igitur homo uiuit.* Vocabulum *huiusmodi est* Barbara. Secun*dus modus est, qui ex propositione uniuersa negante, & assumptione uniuersa aiente, colligit uniuersam negantem: ut, nullum malum est amplectendum, omne uitium est malum, nullum igitur uitium est amplectẽdum.* Vocabulum *est* Celarent. Tertius *modus ex uniuersa affirmatione & speciali affirmatione, efficit specialem affirmationem: ut, omnis uirtus est habitus, quædam iustitia est uirtus, igitur quædam iustitia est habitus.* Vocabulum *est* Darij. Quartus *ex propositione uniuersa negante, & assumptione speciali aiente, colligit specialem negantem: ut, nullum animal est lapis, quidam homo est animal, quidam igitur homo non est lapis.* Vo-

*Barbara.*

*Celarent.*

*Darij.*

*cabulum est Ferio. Hi modi dicuntur rectè seu directim concludentes. Nam in conclusione extremum primum effertur de ultimo. Sunt etiam in eadem forma prima & alij quinq; modi indirectim concludentes, hoc est, qui complexionem extremi ultimi de primo efficiunt, & ad priores illos perfectos reuocãtur. Primus ex duabus uniuersis aientibus, specialem colligit aientem ultimi de primo: ut, omne animal est substãtia, omnis homo est animal, quædam igitur substantia est homo. Vocabulum huiusmodi est* Baralipton. *Reuocatur ad Barbara reciprocatione conclusionis ex parte, hoc est, probatur modus esse necessarius reciprocatione conclusionis modi perfecti (nam quæ in imperfecto colligitur, cùm sit specialis, conuerti ex parte non potest) hoc modo: Ratiocinatio hæc est necessaria, omne animal est substantia, omnis homo est animal, omnis igitur homo est substantia: quicquid igitur ex consequenti sequetur, idipsum sequetur ex antecedenti: at ex consequenti colligitur, quædam substantia est homo, reciprocatur enim uniuersa affirmatio in specialem: quare hoc ipsum ex antecedente necessariò concludetur, eritq; argumentatio modi imperfecti necessaria. Secundus modus ex propositione uniuersa negante, & assumptione uniuersa aiente, colligit uniuersam negantem: ut, nullum malum est expetendum, omne uitium est malum, nullum igitur expetendum est uitium. Vocabulum est* Celantes. *Redigitur ad* Celarent *reciprocatione conclusionis: nullum malum est expetendum, omne uitium est malum, nullum ergo uitium est expetendum. Tertius ex*

Ferio

Baralipton

Celantes.

Q pro-

tiva propositione uniuersa, & assumptione speciali aientibus, concludit specialem aientem: ut, omnis uirtus est habitus, quædam iustitia est uirtus, quidam igitur habitus

Dabitis est iustitia. Vocabulum est Dabitis. Redigitur ad Darij reciprocata conclusione in totum, quædam iustitia est uirtus. Quartus ex propositione uniuersa aiente, & assumptione uniuersa negãte, efficit specialem negantem: ut omne corpus est substantia, nullus spiritus est corpus,

Fapesmo quædam igitur substantia, non est spiritus. Vocabulum Fapesmo. Redigitur ad Ferio reciprocata propositione ex parte, assumptione in totum, & mutato ordine sumtionum, hoc pacto: Nullum corpus est spiritus, quædam substantia est corpus, quædam igitur substantia non est spiritus. Quintus ex speciali propositione aiente, & assumptione uniuersa negante, concludit specialem negãtem, ut quoddam animal uiuit, nullus lapis est animal, quoddam igitur uiuens non est lapis. Vocabulum est Fri

Frisesomorum. sesomorum. Redigitur ad Ferio conuersis sumptionibus in totum, & mutato earundem ordine: nullum animal est lapis, quoddam uiuens est animal, quoddam igitur uiuens non est lapis.

## De modis secundæ formæ.

### CAPVT. VI.

Coniunctiones inutiles duę IN secunda forma duæ sunt coniunctiones pronunciatorum inutiles, ex duabus affirmationibus, & ex propositione speciali. In illa uerba, quorum primum extremum toti inest ultimo sunt, omne animal sentit, omnis homo sentit, omnis homo est animal. Quorum primum nulli inest ultimo, omnis homo est animal, omnis bos est animal, nullus bos est homo. In altera uerba etiam, quorum

rum primum de tota dicitur ultimo fuerint, quædam substantia est animal, nullus lapis est animal, omnis lapis est substantia. Quorum autem primum nulli conuenit ultimo. Quoddam animal est substãtia, nullus color est substantia, nullus color est animal. Connexio ex aientibus nihil efficit, quia medium uerbum, cùm sit attributũ, in neutra sumptione afficitur nota uniuersi generis. Quæ autem est ex propositione speciali, nil efficit, quia in conclusione, quam oporteret esse negantem, in primo extremo ex parte colligeretur totum. Quod perspici in hac potest argumentatione: quædam substantia est animal, nullus lapis est animal, quidam igitur lapis non est substantia. Modi utiles quatuor sunt. Primus ex propositione uniuersa negante, & assumptione uniuersa aiente, colligit uniuersam negantem: ut, nullus lapis est animal, omnis homo est animal, nullus igitur lapis est homo. Vocabulum Cesare. Redigitur ad Celarent reciprocata propositione in totum, nullũ animal est lapis. Camestres.
Secundus contra ex uniuersa propositione aiente, & uniuersa assumptione negante colligit uniuersam negantem: ut, omnis cygnus est albus, nullus coruus est albus, nullus igitur coruus est cygnus. Vocabulum Camestres. Redigitur ad Celarent reciprocatis in totum assumptione & conclusione, & mutato ordine sumptionum: nullum album est coruus, omnis cygnus est albus, igitur nullus cygnus est coruus. Tertius modus ex propositione uniuersa negante, & assumptione speciali aiente, colligit specialem negantem: ut, nullum bonum est malum, quædam iniustitia est mala, quædam ergo iniustitia non est bona. Vocabulum Festino. Redigitur ad Festino

Barroco. Ferio reciprocata propositione in totum: nullum malũ est bonũ. Quartus modus ex propositione uniuersa aiẽte, & assumptione speciali negante, efficit specialem negantem: ut, omnis homo est animal, quidam lapis nõ est animal, quidam igitur lapis non est homo. Vocabulum Baroco. Redigitur ad Barbara syllogismo ad incommodum ducente, hoc est, probatur huius modi ratiocinatio syllogismo dűcente ad incommodum, qui in Barbara conficitur. Probationis modus, hic est: si ratiocinatio non sit recta, sunt ergo ueræ sumptiones & falsa conclusio. Erit igitur contradicens conclusionis uera, omnis lapis est homo. Ex hac uera unà cum propositione concessa necto ratiotinationem urgentem incõmodo, omnis homo est animal, omnis lapis est homo, igitur omnis lapis est animal. Hæc est necessaria ratiocinatio, ueræ sunt sunmptiones, quare uera erit conclusio: atqui & illa concessa fuit uera, quidam lapis nõ est animal, fiet igitur ut sint ueræ enuntiationes contradicentes: quod cùm sit absurdum, relinquitur imperfectam illam argumentationem esse rectam. In modis secundæ formæ uniuersis licet non solùm primum extremum de ultimo, sed & ultimũ de primo concludere, in specialibus autem id fieri minimè potest. Non enim rectè sic colligimus, omnis homo est animal, quædam substantia non est animal, quidam igitur homo non est substantia.

### De modis tertiæ formæ.

CAP. VII.

Coiunctio tertiæ formæ. TErtia forma unam continet inutilem coniunctionem pronuntiatorum, in qua assumpto sit negãs.

Reperi-

*Reperiuntur uerba, quorum primum toti inest ultimo: omnis lapis est substantia, nullus lapis est animal, omne animal est substantia. Quorum autem primum nulli inest ultimo: omnis homo est animal, nullus homo est lapis, nullus lapis est animal.* In modis *tertiæ formæ cõclusionem nõ licet unquã colligere uniuersam. Fieret enim alioqui, ut in ultimo extremo, ex parte totum concluderetur. Quare uitiosa est argumentatio, omnis homo est animal, omnis homo est substantia, igitur omnis substantia est animal.* Modi *utiles sunt sex.* Primus *ex duabus uniuersis aientibus concludit specialem aientem: ut omnis uirtus est expetenda, omnis uirtus est habitus, igitur quidam habitus est expetendus.* Vocabulum *est* Darapti. Redigitur *ad* Darij *assumptione ex parte reciprocata: quidam habitus est uirtus.* Secundus *ex propositione uniuersa negante, & assumptione uniuersa aiente, colligit specialem negantem: ut, nullum uitium est expetendum, omne uitium est malum, quoddam igitur malum non est expetendum.* Vocabulum *est* Felapton. Redigitur *ad* Ferio *assumptione etiam ex parte cõuersa, quoddam malum est uitium.* Tertius *ex propositione speciali aiente, & assumptione uniuersa aiente, colligit specialem aientem: ut, quædã planta uiuit, omnis planta est corpus, aliquod igitur corpus uiuit.* Vocabulum *est* Disamis. Redigitur *ad* Darij *propositione & conclusione in totum reciprocatis, & mutato ordine sumptionum: omnis planta est corpus, quoddam uiuens est planta, quoddam igitur uiuens est corpus.* Quartus *ex uniuersa propositione aiente, & speciali assumptione aiente, colligit specialem aientem: ut, omne bonum*

Darapti

Felapton

Disamis

Datisi

est amplectendum, quoddam bonum est uirtus, quædam igitur uirtus est amplectenda. Vocabulum est Datisi. Redigitur ad Darij assumptione in totum reciprocata, quædam uirtus est bona. Quintus, ex propositione speciali negante, & assumptione uniuersa aiente, colligit specialem negantem: ut quidam homo non est lapis, omnis homo est animal, quoddam igtur animal non est lapis. Vocabulum est Bocardo. Redigitur ad Barbara syllogismo ad incommodum ducente, hoc est, probatur hic modus esse necessarius ratiocinatione ducēte ad incommodum, quæ conficitur in Barbara. Probationis autem ductus idem est cum eo, quo quartus secundæ formæ demonstratur. Sextus ex propositione uniuersa negāte, & assumptione speciali aiente, colligit specialem negantem: ut nullus cygnus est niger, quidam cygnus est animal, quoddam igitur animal non est nigrum. Vocabulū est Ferison. Redigitur ad Ferio assumptione in totum reciprocata, quoddam animal est cygnus. In modis huius formæ aientibus concludi potest non solùm complexio primi extremi de ultimo, sed ultimi de primo. In negantibus non potest. Dubitari forsitan posset, unde fiat, ut sit necessaria probatio, imperfecti modi rediguntur ad perfectos: sunt igitur necessarij. Præbet autem dubitandi occasionem, quòd Enthymemata multa, etiam uitiosa, ad perfectam ratiocinationem possunt reuocari: quale hoc est: omnis homo mouetur, igitur omnis homo ambulat: ex quo fit ratiocinatio in hunc modum: quicquid mouetur ambulat, omnis homo mouetur, igitur omnis homo ambulat. Quæ dubitatio erit soluta, ubi cō stiterit unde uim sumat hæc ratio redigendi imperfecti modi

Bocardo.

Ferison.

modi ad perfectum. Sanè nititur hoc Dialectico principio, quicquid ex consequenti sequitur rectæ argumentationis, idipsum colligi potest ex antecedente: hac enim utimur methodo, ex sumptionibus Modi imperfecti sumptiones perfecti concludimus, & ex his complexionem propositam, ita fit, ut eandem liceat ex primis inferre. Id uno exemplo aperiamus. Imperfectus syllogismus est in Cesare, nullus lapis est animal, omnis homo est animal, nullus igitur homo est lapis. Probatur autem esse necessarius; quia propositione conuersa ad secundũ modum primæ formæ reuocatur. Vis probationis sic explicatur: nullus lapis est animal, & omnis homo est animal, ergo nullũ animal est lapis, & omnis homo est animal. Argumentatio hæc recta est, reciprocatur enim uniuersa negatio in uniuersam, quicquid igitur ex consequenti sequetur, colligetur ex antecedenti: at ex consequenti proculdubiò sequitur conclusio illa, nullus homo est lapis, cùm fiat ratiocinatio in prima forma: igitur ex primis sumptionibus imperfecti modi, eadem conclusio ex necessitate colligetur. Cùm autẽ Enthymemata uitiosa ad Syllogismum reuocantur, ratio illa probandi non est efficax, cùm nullo nitatur Dialectico principio.

## Generalia quædam ratiocinationum præcepta.

### CAPVT XIII.

OMnis ratiocinatio ad aliquam ex tribus his formis, quas proposuimus, ex necessitate reuocatur, quod ita esse, & qua ratione fieri debeat: ita fusè Arist. ostendit, ut nimius profectò esse uideatur: sed danda uenia est, immò uerò habenda gratia homini, qui ita de

*nobis optimè meritus est, ut quicquid ad hanc artē pertinere uideri poterat, diligentißimè sit persecutus.* A nobis *expectanda sunt, quæ ad artis cognitionem intelligētur esse necessaria.* Fieri *igitur ratiocinationem omnem in aliqua trium formarum perspicuum euadit, partim ex medij uerbi collocatione, quam triplicem esse demonstrauimus: partim ex eo, quòd nullam excogitare liceat, in qua alia ab his seruetur dispositionis ratio. ad quam autem formam singulæ ratiocinationes sint reuocandæ ipsa medij uerbi collocatio demonstrabit, nec alijs puto ad eam rem opus esse præceptis.* Nūc *generales quasdam præceptiones ratiocinationum breuiter proponemus.* Omnis *ratiocinatio ex tribus uerbis conflatur, plura si adhibeantur, non constabit: ut si ita colligamus, omne secūdum proximè sequitur primum, omne tertium proximè sequitur secundum, igitur omne tertium proximè sequitur primū.* Porrò *cùm ex tribus uocibus duo fiant pronunciata, proximum est, ut ex duobus tantùm enunciatis constet ratiocinatio simplex, hoc est, quæ nō augetur aliquo pro syllogismo.* Fit *enim ut confirmatio aut utriusq; sumptionis, aut alterius in eandem congerantur ratiocinationē, quam necesse est ex uocibus pluribus tribus, & non ex solis duabus enunciationibus cōponi: cuius generis est hæc,* Omne *uiuens est substantia, omne animal est uiuens, omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia: in qua sumptiones, ex quibus propositio colligitur, appositæ sunt, non expressa conclusione.* Altera *præceptio est, in ratiocinatione omni, si altera ex sumptionibus fuerit specialis, oportet & conclusionem eiusdem esse quantitatis.* Fieri *enim nunquam*

*potest*

*poteſt, ut ex parte colligatur totũ, aut ex ſpeciali pronunciato uniuerſum. Rurſum, ſi alterutra ſumptionum ſit negans, negantem quoq; neceſſe eſt eſſe concluſionẽ. Affirmatio enim ex duabus efficitur affirmationibus.*

*De duplici ratiocinatione recta, & ex hypotheſi.*

CAPVT XIIII.

*DVplex eſt probandæ rei ductus, alter rectus, alter obliquus. Sic duplex eſt ratiocinatio, altera recta quam uulgò oſtenſiuam appellant, altera ex hypotheſi. Recta eſt, quæ recto ductu ex ueris pronunciatis, propoſitæ quæſtioni fidem facit: qualis fuerit, ſi quis piſces nõ reſpirare ſub aquis, ita concludat: quæcunq; pulmone carent, non reſpirant, piſces pulmone carent, piſces igitur non reſpirant. Quæ eſt ex hypotheſi duas ſub ſe complectitur formas, ducentem ad incommodum, & ex trãſlatione. Ducens ad incommodum ratiocinatio eſt, in qua ſumpta contradicente eius quod negatur, cum aliquo enunciato manifeſtè uero, colligimus aliquid manifeſtè falſum. Quod cùm fateri abſurdum ſit, tandem uerum eſſe quod fuerat negatum demonſtramus, aut duas enunciationes contradicentes ſimul eſſe ueras: ut ſi quis dicat plantas uiuere, ſic falſitatis arguetur. Sumetur contradicens, plantæ non uiuunt, & unà cum propoſitione manifeſtè uera: quæ non uiuunt, non aluntur, nec augentur: ſic connectemus ratiocinationem: quæcunq; non uiuũt, non augentur, aut aluntur, plantæ non uiuunt, plantæ igitur neq; aluntur, neq; incrementa ſuſcipiunt: hæc concluſio falſa eſt, ipſis etiam ſenſibus ita eſſe teſtantibus, oportet igitur alteram ex ſumptionibus eſſe*

*Recta ratiocinatio*

*Ratiocinatio ducens ad incommodum.*

*Falsũ eſſe*

falsam: non est autem falsa propositio, erit igitur assumptio, plantæ non uiuunt: quare uerum erat plantas uiuere, quod à principio fuerat ostendendum. Ratiocinatio ex transumptione fit, quoties quæstio de qua disputatio suscepta est, transfertur in aliam, qua probata, prima quoq; demonstratur: ut si probandum sit, omnia astra esse rotunda, & quoniam omnia uidentur eiusdem esse naturæ, hac utamur hypothesi, ut si ostensum sit uel unum aliquod, lunam exempli gratia esse rotundam, sit quoque conclusum esse omnia sphærica, mox lunam esse rotundam ita confirmemus: Omne astrum, cuius lumen in orbem crescit ac minuitur, est rotundum, luna est huiusmodi, luna ergo est rotunda. Hæc uocabitur ratiocinatio ex translatione, siue ex transumptione.

Ratiocinatio ex transumptione.

De præceptis inueniendi medij uerbi ad omne genus enunciati concludendum

CAPVT XV

QVid esset ratiocinatio, & quo pacto fieret, diximus. Nunc sequitur, ut quoniam de ea hoc loco uniuersè agimus, generalia quoq; tradamus inueniendæ materiæ præcepta, quæ poßint omni ratiocinationi adaptari. Cùm sint quatuor enunciationum differentiæ, uniuersa affirmatio, uniuersa negatio, specialis affirmatio, specialis negatio, quatuor præceptionibus, quo medio inuento concludendæ sint, cõplectemur. Prima præceptio: Vniuersa affirmatio concluditur medio uerbo, quod sequatur subiectum, & antecedat attributum. Sequitur alterum, quod alteri consequens est: antecedit alterum, ex quo alterum colligitur. Itaq; concludere uolenti

Prima preceptio

lenti ratiocinatione, omnem hominem esse substantiam, medium uerbum eligetur unum aliquod ex superioribus, animal, corpus, aut uiuens. Hæc enim hominem sequuntur, & substantiam inferunt. Secunda præceptio: Specialis affirmatio concluditur inuento uerbo medio, quod utrunq; extremum antecedat: ut si sit concludendum, quoddam animal uiuere, sumetur medium homo, fietq; ratiocinatio in tertia forma ex uniuersis pronunciatis, omnis homo uiuit, omnis homo est animal, quoddam igitur animal uiuit. Efficitur quoq; specialis affirmatio medio, quod sequatur subiectum, & antecedat attributum: ut quoddam animal esse substantiam, colligemus sumpto medio corpore, in prima forma. Sed ex huiusmodi medio non in omnibus modis, aut ex uniuersis sumptionibus specialis affirmatio concluditur. Tertia præceptio: Vniuersa negatio concluditur medio uerbo inuento, quod sequatur subiectum, & repugnet attributo, aut contrà, quod attributum sequatur, & repugnet subiecto: ut nullus homo est lapis negatio, colligetur in prima forma, & in primo modo secundæ, si sumatur medium animal. Si uerò sumatur expers sensus, fiet ratiocinatio in secundo modo secundæ formæ, eandem colligens conclusionem: omnis lapis est expers sensus, nullus homo est expers sensus, igitur nullus homo est lapis. Quarta præceptio: Specialis negatio concluditur medio inuento, quod antecedat subiectum, & repugnet attributo: ut specialis negatio, quoddam bonum non est fugiendum, probatur sumpta uirtute loco medij, fietq; ratiocinatio in tertia forma ex uniuersis sumptionibus, & in quarto modo primæ, quod cogni-

Secunda præceptio

Tertia præceptio

Quarta præceptio

tu facillimum est. Colligitur etiam specialis negatio inueniento medio, quod repugnet subiecto, & consequatur attributum: ut illa eadem enunciatio, quoddam bonum non est fugiendum, efficietur, si medium uerbum eligatur malum, omne fugiendum est malum, quoddam bonū non est malum, quoddam ergo bonum non est fugiendū.

Verba media inutilia.

Medium uerbum quod utrunq; extremum consequatur inutile prorsus est. In prima enim forma, & in tertia falsum esset alterum pronunciatum: in secunda forma utrunq; esset aiens. Id autem facile est uidere, si ad probandum enunciatum, homo est animal, eligatur corpus. Rursum ex eo quod utriq; extremo contrarium sit, nullum genus complexionis ostenditur: oporteret enim utranq; sumptionem esse negantem. Postremò uerbū medium, quod antecedat attributū, & repugnet subiecto, ineptum est ad efficiendam conclusionem. Nam ut ueræ sint sumptiones, in prima & tertia forma necesse est assumptionem esse negantem: in secunda uerò specialem propositionem. Ostensum est autem huiusmodi connexiones esse incollectiles.

## De Syllogismo in orbem, & conuersionis,

CAPVT XVI.

Multa de his scripsit Aristo. nam quo pacto in singulis formis, atq; in singulis modis cuiusq; formæ necti debeant copiosè explicauit. Sed cùm horum non usqueadeò magnus sit usus, quid huiusmodi sint ratiocinationes, sat fuerit attigisse.

Ratiocinatio in orbem.

Ratiocinari in orbem, nihil aliud est, quàm proposita aliqua ratiocinatione, ex conclusione & conuersa altera sumptione, alteram colligere

ligere, ut si sit confecta ratiocinatio, quicquid est particeps rationis, est capax disciplinæ, omnis homo est particeps rationis, omnis igitur homo est capax disciplinæ, ex conclusione, omnis homo est capax disciplinæ, & cõuersa assumptione, quicquid est particeps rationis, est homo, fiet ratiocinatio in orbem propositionem concludens, quicquid est particeps rationis, est capax disciplinæ. Potest quoq; & assumptio modo eodem concludi ex propositione conuersa & conclusione. Hoc autem genere ratiocinationis non solùm in modis primæ formæ, sed in cæteris ferè omnibus uti licet: quæ omnia fusißimè (quemadmodum diximus) Aristoteles est persequutus. Syllogismus conuersionis est, in quo sumpta aut aduersa, aut contradicente conclusionis cum altera sumptione, aduersam colligimus, aut contradicentem alterius. Hoc genus ratiocinationis distat ab ea, quæ ducit ad incommodum, in primis quia syllogismus conuersionis præexigit aliam ratiocinationem, quemadmodum ex definitione monstratur. Ducens autem ad incommodum nullam requirit anteà factam. Præterea in illo sumi potest aut quod conclusioni aduersatur, aut quod contradicit: in hoc uerò sumpta enunciatione aduersa, nihil efficitur. Non enim est necesse, si proposita conclusio sit falsa, aduersam esse ueram. Qua argumentandi forma utimur, cùm aduersarium incommodo urgemus. Atque hæc de ratiocinatione simplici dicta sint, quæ qui nouerit, nil fermè eorum, quæ ad hanc artem necessaria sunt, & ad disputationes plurimum adferunt adiumenti, desiderabit. Nunc ad alias argumentationis formas explicandas accedamus.

*Syllogismus conuersionis.*

## De Inductione.

### CAP. XVII.

*Ratiocinationi proximè succedit Inductio, quæ à sensibus incipit, & in mentem desinit. Est enim progressio à rebus singulis ad res uniuersas. Eius apud autores frequentissimus est usus, ad ea præsertim demõstranda, quæ sunt artium firmamẽta ac principia: ut in naturali Philosophia, quòd omnia fiant ex contrarijs hac inductione concludimus: Quod fit maius, ex eo efficitur, quòd antea minus erat; & contra, quod deterius euadit, fit ex meliori: Itaq; sanum ex ægro, ex debiliori firmius, ex tardiori uelocius: quæ igitur fiunt, omnia fiunt ex contrarijs. Inductionis etiam exemplum fuerit, si ita ratiocinemur: Iustitia uirtus expetenda est, fortitudo itidem, temperantia, & prudentia, omnis igitur uirtus est expetenda. Inductio perfecta est Argumentatio, si cum Enthymemate & exemplo conferatur: sed uim quoq; sumit ex syllogismo, & ad eum reuocatur sumpta loco medij, tota formarum, aut rerum singularum collectione: ut posterius inductionis exemplum in formam ratiocinationis ita redigetur: Iustitia fortitudo, prudentia, temperantia sunt expetendæ, Iustitia, fortitudo, prudentia, temperantia sunt uirtutes, igitur omnis uirtus est expetenda. Potest etiam Inductio reuocari ad ratiocinationem primæ formæ, sumpto eodem medio, ad hunc modum: Iustitia, fortitudo, temperantia &c. sunt expetendæ, omnis uirtus est aut iustitia, aut fortitudo, aut temperantia. &c. igitur omnis uirtus est expetenda. Oportet autem in Inductione percensere omnia singularia, aut si id minus fieri posit, apta aliqua*

*clausula addenda est, quæ omissa includat & complecta tur.* Alioqui non fieret necessario argumentatio. *Rhetores* Inductionem *appellant, cùm ex multis similibus res una colligitur: ut, si pomum optimum censetur generosissimum, si equus optimus, si ager, aliaq; multa, quæ sunt optima, censentur generosissima, profectò dicentur generosissimi homines qui sunt optimi.* Verùm *hæc imperfecta quædam* Inductio *est, & ad exemplum uidetur pertinere.*

De Enthymemate.

CAP. XVIII.

ENthymema Fabius *interpretatur commentum, ita cogitatum mentis significat.* Appellantur *etiam* Enthymemata *sententiæ omnes, hæ præsertim, quæ ex cōtrarijs cōcluduntur, quoniā acutissimæ esse solent: ut, quid satis, si* Roma *parū? Quē alienum fidū inuenies, si tuis hostis fueris?* A *nobis enthymema in præsentia uocatur, imperfecta ratiocinatio, in qua ex altero tantùm pronuntiato festinata conclusio infertur: ut, si peperit, cū uiro cōcubuit: fumus est, igitur ignis est.* Enthymema*tum duplex est genus, quædam uim sumunt ex significatione uocum, ut homo est substantia, quoddā igitur animal uiuit.* Alia *in utroq; pronuntiato eandem habent uocem, ut temperantia est uirtus, igitur temperātia est habitus.* Quæ *sunt prioris generis ad syllogismum nequeunt reuocari, constāt enim ut minimum ex quatuor uocibus, cum tres tātùm in syllogismo reperiātur.* Quæ *uerò posterioris sunt generis, in uim & formā ratiocinationis redigi possunt, sumpto pronuntiato, quod desideratur.* Quòd *autem desideretur, uox, quæ bis sumitur*

*Duplex genus Enthymet.*

*tur in* Enthymemate, *indicabit.*Ea *enim cùm in utroq; pronuntiato subijcitur, propositio deesse intelligitur: ut in* Enthymemate, *omnis homo est animal, igitur omnis homo est substantia, desideratur propositio, omne animal est substantia, qua sumpta fit primæ formæ ratiocinatio.Cùm autem uox eadem in utroq; est attributum,desyderatur assumptio:ut si ita dicamus,temperantia in mediocritate consistit: quædam igitur uirtus in mediocritate consistit:deest assumptio,omnis temperātia est uirtus,quæ adhibita, tertiæ formæ ratiocinationem efficit.* Accidit *quandoq; in* Enthymemate, *subiectum unius partis in altera esse attributum :poteslq; ex huiusmodi* Enthymemate *fieri syllogismus, sed quænā desit enuntiatio, certis præceptis nequit præscribi.* Aliquando *enim desyderatur propositio : ut si ita colligamus, quidam homo est animal,igitur quædam substantia est homo.*Aliquando *assumptio,ut in hoc* Enthymemate:*nullus equus est homo, igitur quædam substantia non est equus.*Ex *priori illo,assumpta propositione, omne animal est substantia : fit ratiocinatio ultimum extremum de primo concludens hoc pacto :* Omne *animal est substantia , quidam homo est animal, igitur quædam substantia est homo.* Ex *altero, sumpta minori ad hunc modum:nullus equus est homo,quædam substantia est homo , quædam igitur substantia non est equus.* In Enthymemate *( quemadmodum diximus) supprimitur altera assumptio duplici de causa: uel quòd euidentior sit, quàm ut proferri debeat : uel quòd facilius, si exprimatur , argumentationis parum firmæ uitium deprehendatur:ut, pallet adolescens, amat igitur.* Ad-

*ditum*

*ditum pronunciatum, quod deerat, non esse necessariam argumentationem declarat.* Enthymemata *non omnia uim ex ratiocinatione accipiunt, hoc est, non protinus efficitur, ut sit enthymema argumentatio recta, si ad syllogismum reuocetur.* Nam *& uitiosa quoq; ad eundem reuocantur: ut, homo mouetur, igitur homo ambulat, redigitur sumpta propositione, quicquid mouetur ambulat.*

## De Exemplo.

### CAP. XIX.

Exemplum *est altera imperfectæ argumentationis species, quod aliquando argumenti nomen est, uocaturq; particulare, uel maius, uel minus, uel par, quod sumitur, aut ad uitandum, aut imitandum. ab* Aristotele *usurpatur, quâ nomen est argumentationis, diffiniturq;* Oratio, *in qua singulare unum per alterum probatur, propter similitudinem, quæ in utroq; conspicitur. Cuiusmodi est illud apud Ciceronem:* P. Scipio Tyberium Graccum *mediocriter labefactantem statum* Reip. *interemit, nos Catilinam orbem terrarum cæde & incendijs uastantem Consules perferemus? Tum & illud apud.* Virgilium: Pallásne *exure reclassem* Argiuum *potuit, ast ego quæ diuum incedo regina. &c.* Exemplum *ab inductione & syllogismo ita distinguit* Aristoteles, *quòd in syllogismo partem ex toto colligamus, in inductione totum ex parte, in* Exemplo *autem partem ex parte.* Reducitur *etiam* Exemplum *ad ratiocinationem, quemadmodum &* Enthymema *similitudine illa, quæ inter utrunq; particulare intercedit loco medij accepta, ut*

propositum exemplum: Male cessit Thebanis aduersus Athenienses bellum gerere, ergo male cedet Phocensibus contra Thebanos arma capere, ita in syllogismum reuocabitur: Contra confines bellum gerere malum est. Phocenses, contra Thebanos bellum gerere, est contra confines bellum gerere: ergo Phocenses aduersus Thebanos arma capere malum est. Habent Rhetores peculiares quasdam formas colligendi, quibus frequentissimè utuntur: Dilemma, cornutum argumentum, in quo duobus propositis, quodcunq; eligas capiere: ut si diues, erit ferenda: si pauper, alenda. Andistrophon, quod à Cicerone uocatur conuersio. Estq; solutio dilemmatis: Si duxerit diuitem, alet se: si pauperem, nihil exprobabit. Gradationem, in qua sic multa sumũtur, ut ex primo inferatur secundum, ex secundo tertium, atq; ita quocũq; alio numero: ut, animus se mouet: quod se mouet est principium motus, quod est principium motus, est immortale, animus igitur immortalis. Huius norma sumitur ex regula illa Antepraedicamentorum, quando alterum de altero dicitur. &c. Coacerualem conclusionem, Soritas Graeci uocant: ut si aceruum tritici granum unũ non facit, si nec duo, nec tria: ergo nec in quantocunq; numero efficient.

## De hypotheticis seu copulatis argumentationibus.

### CAP. XX.

HActenus satis copiosè pro institutionis huius modo de simplicibus argumentationibus disputatum est. Restat ut de copulatis seu hypotheticis agamus. Seuerinus Boëtius libris duobus tractationem hanc fusissimè

*ſime ac diligentiſſime abſoluit. Ex quo uno, omniũ, quæ ad hoc genus argumentationum ſpectant, plena ac perfecta cognitio peti poterit. Nos ex multis, quæ uir doctiſſimus & acerrimi iudicij ſcriptis mandauit, pauca deligere ſtatuimus, quorum ſcilicet frequens uſus non parum haberi ſolet. Initium a definitione copulati ſyllogiſmi ducemus. Copulata ratiocinatio eſt, cuius altera ex ſumptionibus, aut utraq; copulata eſt: ut ſi homo eſt, animal eſt, atqui homo eſt, igitur animal eſt. Fiunt copulatæ ratiocinationes potiſſimum ex cõnexis & diſiunctionibus. Earum, qui ex connexis conſtantur, uarij ſunt modi. Primus eſt cùm aſſumpto eo, quod in connexo præcedit, oſtendimus id quod ſequitur ita neceſſariò eſſe, ut eſt in connexione propoſitum: ut, ſi homo eſt, animal eſt, atqui homo eſt, igitur animal eſt. Si iuſtitia eſt uirtus, iuſtitia eſt habitus: ſi iuſtitia eſt habitus, iuſtitia eſt qualitas: atqui iuſtitia eſt uirtus, igitur iuſtitia eſt qualitas. Secundus modus eſt, cum in cõnexo propoſito, ſublato eo quòd ſequitur, tollitur id quod antecedit: ut, ſi domus eſt, fundamentũ eſt: non eſt autẽ fundamentum, igitur nec domus. Si dies eſt, nox non eſt, atqui nox eſt, dies igitur non eſt. Tertius modus eſt, cùm in cõnexo negante, quod ex partibus conſtat contrarijs aſtruitur antecedens, ut conſequens tollatur: ut, non ſi dies eſt, nox eſt: atqui dies eſt, nox igitur, non eſt. Cùm autem partes non ſunt repugnantes non ualet argumentum. Earum, qui conſtantur eſt diſiunctionibus, duo modi ſunt. Prior eſt, cùm in diſiunctione pars altera tollitur, ut reliqua aſtruatur: ut aut uiuit, aut mortuus eſt: non uiuit autem, igitur eſt mortuus. Secundus eſt: Cum*

Copulatus ſyllogiſmus.

Syllogiſ ex conexis primus modus.

Secũdus modus.

Tertius modus.

Ex diſiunctionibus duo modi prim.

Secũdus modus.

*disiunctionis propositæ pars altera asseritur, ut reliqua tollatur: ut, aut dies est, aut nox est: atqui dies est, nox igitur non est.* Hic modus colligendi ualet cùm disiunctionis partes sunt contrariæ, alioqui inutilis est. Fiunt quoq; ex coniunctionum negãtia duo hypotheticarum ratiocinationum modi. Primus est: cùm propositæ coniunctionis pars altera astruitur, ut tollatur reliqua: ut, non & ualet, & in morbo est: atqui ualet, non est igitur in morbo. Secundus modus est, cum pars altera tollitur, ut astruatur reliqua: ut, non & dies est, & nox est: at dies non est, nox igitur est. Hic modus argumentandi rectus est, quando partes coniunctionis ita sunt repugnantes, ut inter ipsas nil medij intercipiatur. In cæteris nil efficitur: ut si quis ita colligat: Non & album est & nigrum, atqui non est album, igitur est nigrum, ex coniunctionibus aientibus non constantur rationes copulatæ. Est tamen in his argumentatio necessaria, si ex tota pars colligatur, aut sublata parte una, tota interimatur: ut si cœlum rotundum est & uoluitur, cœlum rotundũ erit: & si non est rotũdum, nec rotundum erit, & uoluetur. Docet quoq; Aristo. in his fieri argumentationes quasdam, cùm ex disiunctis ad coniuncta progredimur, & contrà. Quod qua ratione fieri debeat, his regulis complectimur. Prima, quando attributa, quæ de aliquo dicuntur, accidentario illi conueniunt, aut alterum alteri, coniunctim efferri non possunt. Non enim sic rectè colligimus, est sutor, & est bonus: ergo est sutor bonus: est albus, & est musicus: ergo est albus musicus. Secunda regula, quando ex attributis coniunctis nugatio sequitur, hoc est, fit ut idem frequenter dicatur, quæ

*Ex coniunctionũ negãtia prior modus*

*Secundus modus.*

*Quãdo ex coniunctis diuisa sequãtur ac contrà.*

*Prima regula.*

*Secunda regula.*

quæ separatim dicuntur, cõiunctim dici non possunt, ut est homo, & est animal: igitur est homo animal. In cæteris diuisa attributa coniungi possunt: ut, Socrates est homo, & est albus: igitur est homo albus. Tertia regula, quando coniuncta attributa, si diuidantur, repugnant, ex coniunctis separata non colliguntur: non enim sequitur, est homo mortuus: igitur est homo, & est mortuus. Quarta regula est, quando attributum unum alterius gratia subiecto conuenit, coniuncta diuidi non possunt: ut, Homerus est aliquid, ut poëta: ergo Homerus est. In alijs possunt coniuncta attributa rectè diuidi: ut Socratas est homo albus, igitur est homo, & est albus. Tertia regula. Quarta regula.

Finis libri sexti.

# COMPOSITIONIS DIALECTICAE LIBER SEPTIMVS. QVI est de Demonstratione.

## De instituto præsentis libri, ex quibus constet Demonstratio, & quæ sint genera prænotionum,

### CAPVT. I.



Cum naturæ ordine, qui idem compositionis ordo est, genus formas antecedat, meritò priori loco de ratiocinatione, genere scilicet ipso primo loco à nobis actum est, cuius tractationem sequitur disputatio de formis. Sunt autem ratiocinationis formæ,

demonstratio, Dialectica ratiocinatio, & Sophistica: de quibus sigillatim differendum est. Ac primùm sese nobis offert explicandæ demonstrationis natura, quoniam dignitate cæteris longè antecellit. Hanc prius quàm diffinitione aperiamus, quænam sint ad eã necessaria, quod diligenter fecit Aristoteles, indicandum est. Cùm omnis doctrina ac disciplina ex præexistenti aliqua cognitione nascatur, demonstratione autem doctrina paretur atq; efficiatur (ea enim sola est certißimum parandæ scientiæ instrumentum) planè oportebit aliqua in demonstratione præcognouisse, quibus ignoratis, parari scientia eius, quod demonstratione concluditur, nullo modo poterit. Propositæ argumentationis partes usqueadeò perspicuæ sunt, ut probatione nulla indigeant. Propositio principij loco habenda est, quam inductione, argumenti genere probandis principijs accommodato, Aristoteles ostendit. Nam & in Mathematicis, & in Rhetoricis, & in alijs omnibus artium generibus necesse est priusquàm addiscantur, quorundam instrui cognitione, quæ qui non tenuerit, frustrà eas se consecuturum speret. Sunt etiam quædam communia principia, quas dignitates appellant, omnibus quasi à natura insita, quorum intelligentia destitutus, frustrà aditum paret in scholas. Assumptio præfatæ argumentationis probationem nullam desiderat. Quæ sint igitur in Demonstratione prænoscenda explicemus. Quod fiet commodè, si ex quibus constet demonstratio, & quot sint genera prænotionum, breuiter aperiamus. Demonstratio omnis tribus partibus cõtinetur, principio, seu dignitate, subiecto genere, & affectione. Principij nomine partes proximas, ex quibus

*Aliqua in demonstratione prænoscẽda.*

*Ex quibus cõstet demõstratio.*

Demon-

Demonstratio conflatur, intelligi uolumus, Propositionem, & Assumptionem. Subiectum, extremum ultimum est; affectio, extremum primum, quod de subiecto Demonstratione concluditur: ut si quis omnem hominem natum esse ad perdiscendas artes hac demonstratione concludat: omne animal rationis particeps natū est ad perdiscendas artes, omnis homo est animal rationis particeps, est igitur omnis homo natus ad perdiscendas artes. Principia sunt sumptiones duæ, subiectum homo, affectio natus ad perdiscendas artes. Prænotionum genera duo sunt, sit res nécne, & quid sit. Prænotio quid sit duplex est, altera nominis, altera rei. Nominis est, qua nominis significatio cognoscitur: ut quid homo significet, quid animal. Rei uerò, per quam naturam rei atque substantiam intelligimus. Quas prænotiones esse diuersas, hinc constat, quòd significatio nominis, à rei natura, quæ nomine declaratur, sit longè diuersa. Ac in multis significatio nota est atque perspecta, quid autem res ipsa sit, hoc est, quæ sit rei substantia, ignoratur. Prænotio sit res, nécne, in duas quoq; partes distribuitur. Nam altera ad rem simplicem pertinet, altera ad compositam. Prænotio sit res, nécne, in simplicibus est certa cognitio, qua res ipsas simplices existere actu nouimus: ut esse hominē, esse triangulum. In rebus autem compositis, ut in enunciatis nouisse sit res nécne, aliud indicat, scilicet, sit uera enunciatio nécne, intelligere: ut cognoscere id esse, nécne, animal particeps rationis natum esse ad perdiscendas artes, est, uerum esse propositum principium tenere. Et in cæteris eodem modo. Nunc quo genere prænotionis

Prænotionū duo genera.

Principia quomodo prænoſcẽda.

tionis unumquodq; eorum, ex quibus Demonſtratio cõſtatur, prænoſci debeat, dicamus. Principia quod ſint, hoc eſt, eſſe uera intelligere oportet. Non enim per ea quæ falſa ſunt, aut talia eſſe iudicantur, comparari conclusionis uera ſcientia poteſt. In ſubiecto duplici prænotione opus eſt. Primum eſſe ipſum operæpretium eſt intelligere, cùm eorum, quæ non ſunt, nulla ſit demonſtratio: deinde quid ſit, hoc eſt, quid nomen ſignificet. Quænam autem ſit rei ſubiectæ natura in demonſtratione potiſsima eſt etiam prænoſcendum, utpote quæ medium uerbum habeat ſubiecti diffinitionem. In proprietate, unica tantùm opus eſt prænotione, quid ipſum nomen ſignificet proprietatis, & aliquando quænam ſit proprietatis natura, cùm accipitur loco medij uerbi proprietatis diffinitio. Eſſe autem proprietatem non prænoſcimus: id enim concluditur demonſtratione.

Subiecti præno.

Affectionis præn.

Quid ſit Demonſtratio.

CAP. II.

Scientia & Demonſtratio perinde inter ſe affecta ſunt, ut cauſa & effectus. Eſt enim Demonſtratio cauſa, cuius ſcientia & finis eſt, & effectus. Scire dicimur, cùm cauſam, propter quam res eſt, ita ipſius cauſam eſſe cognoſcimus, ut non poſſe omnino rem aliter ſeſe habere credamus. Quæ definitio apertè declarat ueram ſcientiam tria hæc deſiderare, ut cognoſcatur rei cauſa: deinde ut intelligatur cauſa illa eius rei, quæ ſcitur, eſſe cauſa, poſtremò ut & res, quæ ſcitur, & cauſa ipſa exiſtimentur eſſe neceſſaria. Aliquid eorum ſi deſit, non erit plena ac perfecta ſcientia. Sumimus autem hoc loco ſcientiæ nomen, quatenus intellectui, ſapientiæ, & ceteris

Quid ſcire.

*cæteris habitibus, quos numerat in* Ethicis Aristot. *aduersatur.* Potest *enim, soletq; aliquādo generali quodam modo accipi, ut suo ambitu omne genus cognitionis cōplectatur.* Demonstrationis *duplex ab* Aristotele *affertur definitio.* Prior *ex fine sumpta est, scientia uidelicet,* Ratiocinatio, *per quam efficitur conclusionis scientia.* Dialecticæ *argumentationes pariunt cognitionem aliquam complexionis, sed scientia longè inferiorem, opinionem, aut fidem.* Altera *demonstrationis finitio petita ex partibus hoc modo sese habet:* Demōstratio *est ratiocinatio constans ex ueris, primis, immediatis, notioribus, proximis causis conclusionis.* Cuius *definitionis partes singulæ explorandæ sunt.* Veras *esse sumptiones oportet: quoniam ex falsis, non scientia comparatur, sed falsa quædā existimatio.* Primas *& immediatas, hoc est, medio carētes, aut quæ fidem acceperint ex illis, quæ mediū non habēt.* Ex *utrisq; enim demōstratio cōflatur.* Prima *demonstratio* Geometriæ, *qua concluditur, quod descriptum est, supra datam rectam lineam esse triangulum æquilaterum, conflatur ex primis omnino & prorsus medio carentibus.* Reliquæ *autem, quæ sequuntur, principia assumunt, quæ ad prima reuocantur, & ex primis fidem sumpserunt.* Notiores *quoq; esse conuenit naturâ, non nobis.* Semper *enim in demonstrationibus ex causis effecta colliguntur, & ex maioribus minora.* Vnde *fit ut sint quoq; semper demonstrationis principia natura notiora cōclusione.* Postremò *causas & proximas: causas quidem, quoniam demonstratio instrumentum est parandæ scientiæ, scientia autem sine cognitione causæ non efficitur.* Proximas *uerò, si quidem per eas,*

*Duplex finitio Demonstrationis.*

quæ longè absunt, nil plenè perfecteq; sciri potest. Sed partis huius perfectior explicatio posteà adhibebitur.

Quid principium, & quæ eius formæ.

CAPVT III.

DEmonstrationis principium, seu immediata propositio uocatur, qua non est altera prior, per quã poßit confirmari: ut omne totum est maius parte. Immediati principij duæ sunt partes, Pronunciatum, seu Dignitas, & Positio. Dignitas est principium ita perspicuum, ut non poßit non multò ante esse cognitum, atq; perspectum omnibus, priùs quàm quicquam doceantur. Qualia sunt communia principia, de omni re uera est affirmatio, aut negatio, si ab æqualibus auferãtur æqualia, quæ relinquuntur sunt æqualia. Positio est principium, quod tametsi non poßit demonstrari, non tamen per se ita apertum est ac manifestum, ut necesse sit iam ante cognitum esse ei, qui artem aliquam discere uelit: cuius generis sunt propria artium principia. Positiones diuiduntur rursus in duo genera, in hypotheses, quas suppositiones appellamus, & in definitiones. Suppositiones sunt positiones esse aut non esse significantes, hoc est, quæ aliquid de aliquo affirmant, aut negant: ut à puncto in punctum potest recta duci linea, æquidistantes lineæ non concurrunt, tametsi in infinitum protrahantur. Diffinitiones autem sunt simplicia principia, quæ ueri aliquid aut falsi non continent: ut diffinitio lineæ, diffinitio unitatis. Quemadmodum autem ex affirmationibus aliæ sunt medium habentes, aliæ quæ medio carent: sic etiam ex negationibus. Negatio mediũ habet, cuius

Dignitas

Positio.

Suppositiones.

Diffinitiones.

Negatio mediũ habens.

*cuius aut utrunq; extremum sub aliquo toto continetur, aut alterum: cuiusmodi sunt, nullus homo est qualitas, nullus color est linea.* Immediata *dicitur, cuius neutrum extremorum in aliquo toto continetur: ut nulla substantia est quantitas.* Ex *his principijs conflatur* De*monstratio, ad quæ ita oportet affectum esse eum, qui* Demonstratione *utitur: ut certiùs ipsis credat, quàm cõclusioni. Semper enim id magis tale est, quod causa est, ut tale sit alterum, sed propter principia fides conclusioni adhibetur, necesse est ergo multò meliùs ac certiùs à nobis intelligi principia.* Negatio immediata.

*Quid sit in omni esse, quæ per se conueniant, quid in uniuerso genere spectari.*

CAPVT IIII.

C*Vm demonstratio ex necessarijs conficetur pronunciatis, & quod est necessarium concludat, sintq; necessaria, alia ex ui sua ac per se, alia fortuitò, ac secundum accidens, ex quibus necessarijs coalescat, nouisse oportet. Sed primùm quid ista sint, quæ proposuimus, dicamus.* In *omni id dicitur, quod in alterum totum cadit, & omni tempore: ita animal in omnem hominem cadit, nam nihil potest sub homine accipi, cui non conueniat animal, & præterea omni tempore de homine effertur.* Quid in omni esse.

Eorum, *quæ per se dicuntur, quatuor sunt modi.* Primùm *per se conueniunt, quæ in explicanda rei natura atque essentia adhibentur: ut punctum lineæ, animal homini.* Primus modus eorum quæ per se dicuntur.

Deinde *per se insunt, quæ ita rem sequuntur, ut in eorum definitione res ipsa collocetur: ut par & impar numero: ridere homini, & omnis propria affectio formæ, quam sequitur.* Secundus

Tertius *modus non in compositione consi=* Tertius.

consistit rerum multarum, sed in simplicibus substantijs spectatur. Itaq; per se dicũtur quæ in nullo subiecto hærent: ut singulares substantiæ. Quarto modo per se dicũtur, quorum subiectum ipsum causa est: ad quem modum pertinent pronunciata hæc, iugulatus interijt, lucidum illuminat. Vniuersè autem dicũtur, quæ in omni insunt, per se, ac primò: ut habere tres angulos pares duobus rectis, isoscelis attributum uniuersum non est, nec figuræ. Nam huic non omni conuenit, illi uerò non primò & quâ isosceles est, sed quâ triangulum. Itaq; de triangulo uniuersè dicetur, cùm in omni triangulo insit, per se, ac primò, scilicet, quâ triangulum est. In demonstratione igitur, quam definitione explicauimus, pronunciata omnia ita constituta esse oportet, ut attributa subiectis insint omnibus, ac per se, aut primo, aut secundo modo: hos enim aptissimos esse conficiendis demonstrationibus indicauit Aristoteles. Oportet quoq; id, quod demõstratione concluditur, uniuersum esse attributum, hoc est, subiecto, de quo concluditur omni, per se, ac primò conuenire. Quæ omnia in hac demonstratione cernuntur: omne animal particeps rationis est natum ad risum, omnis homo est animal particeps rationis, omnis igitur homo est natus ad risum. In qua propositio, & conclusio ad secundum modum eorum, quæ per se dicuntur, pertinent: assumptio ad primum, & quod demonstratur, uniuersum attributum est hominis. Ex his duo uelut consectaria sequuntur. Primum est, demonstrationẽ exactam constare ex his, quæ necessaria sunt atq; perpetua, & eadem dumtaxat concludere. Fortuita igitur, & quæ sensibus percipiuntur, neq; sub scientiam, neque in demon=

Quid uniuersè dici

Consectaria duo.

*demonstrationem cadunt.* Alterum, *demonstrationem coalescere ex proprijs.* Dicuntur autem *propria partim ea, quæ non sunt communia, partim quæ non sunt externa.* Ex communibus non constat demonstratio: *hæc enim non perfectam & propriam rei, de qua fit demonstratio, pariunt cognitionem, sed communem: cuiusmodi est hæc, ubi reperiuntur maius & minus, reperitur æquale: sed reperitur quadratum maius circulo, & minus: igitur reperietur quadratum par circulo.* Externa *etiam, hoc est, quæ alterius sunt scientiæ & artis in demonstratione non collocantur.* Itaque *principia, quibus utitur demonstratio, necesse est in eadem arte, & in eodem subiecto genere contineri cum complexione.* Quare *theoremata medica, aut naturalia ex principijs* Mathematicis *non apte demonstrabuntur.* Quæ *enim unius sunt generis non poßunt his, quæ in alio genere continentur, per se conuenire: at ex his, quæ sunt per se diximus coalescere demõstrationẽ.* Id *uerò ad eas artes pertinet, quæ sunt ita diuersæ, ut nil prorsus habeant commune.* In *his autem, quæ ita sunt affectæ, ut sit subiectum genus unius sub altero collocatum, quas uulgò subalternas appellant, cuius generis sunt,* Geometria & Optica, Arithmetica & Musica, *nil uetat, superioris principia ad inferioris theoremata demonstranda aptare.* Ita Opticus *quæ eminus uidentur minora, quæ autem cominus, maiora apparere,* Geometrico *principio concludit, quod lineæ, quæ à re uisa ad oculum porriguntur, in illis minorem angulum in oculo constituant, in his uerò maiorem.*

*Demõstrationes ex proprijs coalescũt.*

De

De uarijs Demonstrationum formis ac diuisionibus

CAP. V.

Prima diuisio demonstr.

Quatuor sunt Demonstrationis diuisiones. Prima est, qua distribuitur in demonstrationem, qua scimus quod res sit tantùm, & qua scimus non solùm rem esse, sed quamobrem sit. Vulgò dicuntur, quia, & propter quid. Demonstratio, qua scimus quamobrem res sit, uocatur, quæ ex causis proximis effecta concludit, cui soli definitio anteà à nobis tradita accommodatur: cuiusmodi est illa, per quam demonstramus lunam deficere ex obiectu terræ. Demonstratio, per quam scimus dumtaxat rem esse, fit duobus modis, quando ex effectu colligimus causam: ut cum rotundam esse lunam ostendimus, quia lumen sphericè suscipiat: aut quando ex causa, sed remota concludimus effectum: cuius generis est ea, qua ostendimus plantas non respirare, quia non sunt animalia, hoc modo: quicquid respirat est animal, plantæ non sunt animalia, plantæ igitur non respirant. Huiusmodi causam reddidit, qui non esse tibicines in Scithya respondit, quia non essent uites. Diuiditur quoq; demonstratio in aientem & negantem. Aiens est, cuius conclusio ait: negans, cuius negat conclusio: ut nulla substantia est qualitas, omnis homo est substantia, nullus igitur homo est qualitas. Præstat autem aiens neganti, & multis nominibus ipsam superat atq; uincit. Nam ex paucioribus constat, & quæ priora sunt assumit: affirmatio enim prior est negatione. Porrò quemadmodum ratiocinatio alia directò rem ostendit, alia ducit ad incommodum; ita quoq; duplex est demonstratio, recta,

Secunda diuisio.

Tertia diuisio.

& urgēs

*& urgens incommodo, quarum definitiones ex his, quæ de his ratiocinationum formis diximus, perspicuè euadunt.* Postrema *diuisio demonstrationis fit in demonstrationem totius, seu uniuersam, & demonstrationem partis seu specialem.* Demonstratio *totius uniuersi est, in qua uniuersum attributum de proprio subiecto concluditur, qualis ea est, qua habere tres angulos pares duobus rectis de triangulo concludimus.* Demonstratio *partis fit, cùm attributum uniuersum non concluditur de proprio subiecto, sed de aliqua eius parte: ut si eandem affectionem de isoscele demonstremus ad hunc modum: omnis figura, cuius exterior angulus par est duobus internis oppositis, habet tres angulos pares duobus rectis, omnis isosceles est huiusmodi, igitur omnis isosceles habet tres angulos pares duobus rectis.* Demonstratio *totius & uniuersa demonstrationi partis longo interuallo antecellit.* Nam *per eam & plura scimus, & rem perfectiùs cognoscimus.* *Quarta diuisio.*

## *Quid intersit inter scientiam & opinionem.*

CAP. VI.

S*Olent res comparatione mutua aptißimè explicari.* Vt *igitur scientiæ uis, quæ effectus quidam est demonstrationis exactiùs cognoscatur, optimum fuerit eam cum opinione componere.* Quid *sit scientia satis abundè monstrauimus: opinionem nunc definire operæpretium fuerit.* Opinionem *dicit* Aristot. *esse incertam existimationem enuntiationis immediatè contingẽtis.* Incertam *dicit, quia quod opinamur, tametsi uerum esse existimemus, non ita tamen, ut certo assentiamur,* *Quid opinio.*

credamusq; aliter nullo modo posse euenire. Pars illa enuntiationis contingentis intelligenda est, aut uerè contingentis, aut quæ perinde sumatur, ac si esset contingens. Nam & ea quoq;, quæ necessaria sunt, in opinionem cadunt, si non quâ sunt necessaria accipiãtur. Immediata indicat etiam in his, quæ sunt contingentia esse quasdam enuntiationes medio carentes, alioqui in his esset nobis in infinitum progrediendum, quod naturæ ordo nõ patitur. Scientia ab opinione his differentijs separatur, scientia certissima est cognitio & maximè necessaria: opinio incerta, qua dubitantes & quodammodo ambigentes rei credimus. Deinde scientia ad res pertinet necessarias, & earum est dumtaxat, quæ sunt perpetua: in opinionem autem cadunt etiam contingẽtia. Postremò scientia sola demonstratione paratur, opinio uerò efficitur etiam probabili argumento. Nec tamen quicquam uetat opinionem necessaria ratiocinatione effici: in eo tamen, qui uim rationis & necessitatem ignoret. De eadem complexione scientia atq; opinio in eodem nunquàm reperiuntur. De eodem autem subiecto simplici, ut de homine fieri potest, ut idem aliquid sciat, esse scilicet natum ad risum, & aliquid opinetur, ut moueri, aut disputare. Porrò demõstratio opinionem funditùs tollit, & scientiam parit. Probabile argumentum, quod alioqui opinionem efficeret, cum demonstratione coniunctum, scientiam potiùs confirmat, quàm euertat.

Prima differentia.

Secunda diferent.

Tertia differentia.

De quæstionibus eorum quæ sciuntur.

CAP. VII.

*NVmerum quæstionum Aristoteles parem esse constituit numero eorum, quæ sciuntur. Ea autē uerē sciri ab eodem dicuntur, non solum quæ demonstratione concluduntur, sed quæ in ipsa demonstratione percipiuntur. De rebus autem ista cognoscuntur, ut de triāgulo, quod sit, quid sit, quæ conueniunt triangulo, & cur conueniant. Ita fit esse quatuor genera quæstionum, sit res necne, quid sit, an sit, cur sit. Priores illæ simplices sunt, in eis enim non quæritur attributum aliquod de subiecto. Duæ aliæ sunt composita, in quibus certum aliquod attributum de subiecto quærimus. Ac natura quidem quæstiones quid res sit, & cur sit, priores sunt cæteris, noster autem interrogandi ac percontandi modus ab alijs sumit initium. Primùm enim quærimus sit res necne, mox quæ nam rei natura: quibus cognitis, quæ rei insunt inuestigamus, ac postremò causas, propter quas illa insunt. Cùm sint autem quatuor quæstiones, omnes ad quæstionem medij, quod in demonstratione sumitur, referuntur, non ita tamen, quod in omni quæstione medium quæratur, sed quia medio inuento omnis cessat quæstio & inquisitio. Qui enim nouerit causam, propter quam luna deliquium patitur, is certò & lunam esse, & quid sit, & quid lunæ conueniat, intelliget.*

Quæ uerè sciantur.

Omnis quæstio. refertur ad quæstionē medij.

*Quod poßit ex omnibus causis confici demōstratio, & causa una per alteram demonstrari.*

CAP. VII.

*CVm sin quatuor genera causarum, nullum est, quod in demonstratione recipi non poßit. Ex materia*

Demõstratio ex materia. fit demonstratio ad hunc modum: quicquid constat ex contrarijs tandem corrumpetur, omnis homo constat ex contrarijs, igitur tandem corrumpetur. Ex forma hoc pacto: quisquis habet animam rationis participem, natus est ad perdiscendas disciplinas, omnis homo constat ex anima rationis participe, igitur omnis homo natus est ad perdiscẽdas disciplinas. Ex efficienti, ut si mundum pulcherrimum esse demõstremus, quia deus ipse mũdi opifex pulcherrimus sit. Ex fine, ut si ambulare post cœnam quempiam ostendamus, ne cibus in orificio supernatet stomachi. Sunt autem causæ sibi mutuò causæ, & per unum genus, alterum demonstratur. Per formam materia, & utraq; per finem. Ex quibus perspicua euadit finitionis diuisio, quæ ab Aristotele adducitur, in eam, quæ principium est demonstrationis, aut conclusio demonstrationis, aut differens solo situ à demõstratione. Definitio, quæ sumitur ex forma, aut ex fine, principium est demonstrationis, quæ ex materia conclusio, quæ utranq; complectitur, distat à demonstratione solo situ & collocatione: ut cùm sint duæ hæ iræ definitiones, feruor sanguinis circa cor, & appetitus doloris uicissim aduersario inferendi: quarum prior sumitur ex materia, posterior ex forma. Per posteriorem priorem demonstratione concludere licebit in hunc modum: Vbi est appetitus doloris aduersario inferẽdi, in eo feruet sanguis circa cor: in eo, qui irascitur, est appetitus doloris aduersario inferendi, ergò in eo feruet sanguis circa cor. Quòd si utraq; diffinitio coniungatur, conflabitur tertium illud genus diffinitionis, sola collocatione distantis à demonstratione, continebit enim

Ex forma

Ex efficiente.

Ex fine.

Triplex genus definitionis.

 ea omnia

ea omnia, quæ complectitur demonstratio: atq; in eo differt, quod in demonstratione materia posteriorem locum obtinet, forma priorē: in definitione contrà, priori loco materia collocatur, deinde explicatur forma. Sic enim definire solemus, ira est feruor sanguinis circa cor, cum appetitu doloris uicissim aduersario inferendi.

De cognitione principiorum.

CAP. IX.

Nomen scientiæ communi quadam ratione sumptū látè patet, & ipsam quoq; suo ambitu complectatur principiorum cognitionem. Si uerò in propria sumatur significatione, longè diuersus habitus est ab eo, quo principia cognoscuntur. Vocabitur igitur principiorum habitus intelligentia. Hæc non est nobis natura indita, sed fit ex aliqua antecedenti cognitione. Efficitur autem, iudicio Aristotelis, in hunc modum: ex sensibus memoriæ fiunt, ex memorijs experimentum, ex ipso tandem experimento principiorum cognitio nascitur: ut principium omne totum est maius sua parte, ita tandem effectum est & cognitum. Sensus percepit singularia, hoc scilicet, totum maius esse parte. Rursus aliud atq; aliud: ex sensu facta est memoria: hæ enim singularum rerum cognitiones in phātasia seruatæ sunt. Ex memorijs multis ortum est experimentum: quod nihil aliud esse uidetur, quàm cognitio multorum singularium in eadem re conuenientium. Ex hoc experimento effectum est generale principium & cognitum, omne totum est maius sua parte. Sicq; res sese habet in cæteris. Ac de demonstratione hæc dicta sint. Poterant alia multò plura ex Aristot. hauriri, sed omnia persequi

Principiorum cognitio quomodo fiat.

non est nostri instituti. Res postulat, ut ad explicandas alias ratiocinationis formas properemus, atq; huic libro finem imponamus.

Finis libri septimi.

# COMPOSITIONIS DIALECTICAE DE LOCIS Dialecticis Liber Octauus, siue de ratiocinatione Dialectica.

## Quid Inuentio, quot Dialecticæ utilitates.

### CAP. I.


IALECTICA (quemadmodum alio loco satis copiose diximus) in duas partes est distributa, iudicandi alteram, alteram inueniēdi. Iudicandi præcepta, quatenus institutionis huius modus postulabat diligenter hactenus sumus persequuti: reliquum est, ut de Inuentione dicamus. Est autem Inuentio ratio seu methodus inueniendorum locorum, ex quibus promuntur argumenta probabilia ad faciendam fidem rei de qua quæritur. Hæc disciplina uere sibi Dialecticæ nomen uendicat, & sola hac appellatione ab Aristot. insignitur: quæ docet ex quibus Dialectica & probabilis ratiocinatio componatur: & locos suppeditat, ex quibus instrumenta omnia faciendæ fidei eruuntur.

*eruuntur.* Huius complures Aristot. numerat utilitates non contemnendas. Confert primùm ad gymnasticos cõflictus, quod uel ipsum Dialecticæ nomen declarat: dicta est enim à differendo, seu disputando. Deinde conducit ad familiaria colloquia. Ad tractandas quoque quæstiones Philosophicas maximè utilis est, eius eni m ope propositæ cuiusuis quæstionis pars utraque potest disputari. Quod qui facit, facillimè quid uerum sit, quid falsum in singulis perspicere ualebit. Postremo ad probanda principia disciplinarum omnium, sola uiam tradit & rationem. Cùm enim primis artium principijs, ex his, quæ ipsorum sunt propria, fides haud quaquàm fieri poßit, ex probabilibus ac uerißimilibus sunt confirmanda.

Prima utilitas. 2. Vtilitã 3. Vtili. 4. Vtili.

### Quid sit ratiocinatio Dialectica, quid propositio Dialectica, quid dialecticum problema, & quotuplex.

CAPVT. II.

Dialectica ratiocinatio ea dicitur, quæ ex probabilibus uerè conflatur; qua postrema parte à demonstratione & captiosa ratiocinatione separatur: quarum altera ex necessarijs, altera ex ijs, quæ sunt in speciem tantùm probabilia, componitur. Probabilis nomen quidam nimis latè tendunt: id enim omne probabile esse iudicant, quod aptè & consentaneè de re proposita dici potest. Sed Aristo. Probabile uocat, quod uidetur omnibus, pluribus, aut sapientibus, & ijs, uel omnibus, uel pluribus, uel uni alicui ex maximè probatis. Horum omnium exempla, tum quo pacto differat probabile à uero & necessario, cùm de Dialecticæ artis diffinitione

Dialectica propositio. nitione ageremus, explicuimus. Cæterum, quoniam tota hæc disputatio ad tractandas quæstiones Dialecticas refertur, tractatur autem quæstio ac explicatur Dialecticis propositionibus, prius quàm ad alia progrediamur, quid ista sint, breuiter est dicendum. Dialectica propositio est, interrogatio probabilis, quæ uidetur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus: & his, uel omnibus, uel pluribus, uel maximè probatis. Dialecticæ propositionis gradus quidam sunt ac formæ. Nam quæ sunt similes probabilibus, probabiles uocantur, & Dialecticæ: ut cùm sit probabile contrariorum eandem esse disciplinam, probabile quoq; erit sensum eundem esse contrariorũ. Tum quæ contraria sunt probabilibus secundum contradictionem sumpta: ut cùm sit probabile amicis esse benefaciendum, si contrarium secundum cõtradictionem sumatur, probabile erit, non esse amicis malefaciendum. Postremò Dialectica propositio uocatur, quæ unicuiq; in sua arte uidetur esse probabilis: ut Medico quod ad medendi artem pertinet. Dialectica quæstio, seu Dialecticum problema, est interrogatio utriusq; partis cõtradictionis. cuius tria genera constituit Arist. cognitionis, actionis, & quod adiumentum adfert ad aliquid aliud utriusq; generis. Cognitionis est, quod ad ueritatem & scientiam pertinet, hoc est, cuius finis est sciẽtia: ut si quæratur, sitne mundus sempiternus. In hoc enim sola spectatur cognitio & ueritas, qua inuenta cõquiescit animus. Actionis est, quod ad persequendum quid, & declinandum, id est, ad expetendum uel aspernandum pertinet: cuius generis est, sitne uoluptas in bonis, nécne? Id enim idcirco quæritur, ut si in bonis inuen

*ta fuerit, eam persequamur: sin minus, fugiamus.* Tertij *generis sunt* Dialecticorum *quæstiones propriæ, quæ uel ad rerum expetendarum & fugiendarum, uel ad ueri & falsi inuentionem cognitionemq; conducunt: ut si quæratur sitne homo species, necne? Et si quæ sunt eius generis: nec enim earum est finis scientia, nec prosecutio aut fuga, sed ad ueritatem cognoscendam adiumentum adferunt.* Genera *problematum, seu* Dialecticarum *quæstionum, quatuor dumtaxat constituit* Aristoteles, Generis, Definitionis, Proprietatis, & Accidentis. Gene*ris quæstio est, cùm sitne attributum subiectum genus, an non, quærimus: ut sitne animal hominis genus, an nō sit.* Definitionis, *cùm quærimus sitne definitio, an nō sit: ut sitne animal rationis particeps definitio hominis, an nō sit.* Proprietatis, *cùm proprietas de re subiecta quæritur: quale fuerit, estne sursum ferri ignis proprium, an non?* Accidentis *quæstio est, cùm quærimus insitne attributum subiecto, an non insit, nil præterea addentes: ut sintne elementa colore aliquo affecta, an non sint: & rursum cùm insitne ut accidens interrogamus: ut cùm ita quærimus, estne niuis candor accidens, an non est?* Ad *hæc quatuor genera,* Dialecticæ *omnes quæstiones reuocantur, & in aliquod horum omnes cadunt quotquot sunt, quicquid* Rodolphus *Agricola, uir alioqui acerrimi iudicij, contra* Aristotelem *statuerit: quem existimauit rem latè patentem nimis angustis finibus circunscripsisse. Problemata eiusdem & diuersi reuocantur ad quæstionem definitionis: qualia ea sunt, in quibus sitne idem attributum cum subiecto quærimus, an ab eo diuersum. Ad quæstionem ge-*

*Dialecticum problema.*

*Quatuor quæstionū genera.*

*neris pertinent quæstio differentiæ, & quæstio omnis, quæ sintne aliqua sub eodem genere, an non sint, quærimus: ut sintne homo & equus sub eodem animalis genere, an sub alio & alio? Problemati Accidentis annexæ sunt quæstiones comparationis: cuiusmodi est illa, sitne utile magis expetẽdum, quàm honestum. His quæstionibus confirmandis, aut refellendis, loci nobis argumenta suppeditant, de quibus nunc est sigillatim disserendum.*

*Quid locus, & quomodo diuidatur.*

CAPVT III.

*Quid locus.* *LOcus à Cicerone definitur, argumenti sedes. Dici quoq; potest communis nota, cuius admonitu quid in unaquaq; re sit probabile licet inuenire. Nam in se continet instrumenta omnia parandæ fidei, & nos uelut manu aprehensos ad id inueniendũ, ducit, quod quærimus. Comparatur aptè locus manibus in biuijs affixis, quæ quà uertendum sit iter, nescienti demonstrant. Nomina locorum alij non imperitè esse tanquam lemmata narthesiorum apud unguentarios, & pharmacopolas iudicarunt, quibus illi admonentur, quid in unoquoq; sit narthesio, aut capsula: ne omnia euoluere sit necesse, cùm uno aliquo opus fuerit.* *Argumentum.* *Argumentum est, ratio rei dubiæ faciens fidem. Dictum ab arguendo, quòd rem de qua quæritur, arguat, ac demonstret. Locum Seuerinus* *Locus duplex.* *Boëtius in duas partes distribuit, propositionem maximam, quem communem locum appellare possumus, & differentiam maximæ propositionis. Maximæ propositiones appellãtur, cõmunia quædam principia, ex quibus argumentationes ipsæ uim accipiunt. Quæ aliquan*

do in

do in ipsis argumētationibus inseruntur: ut si quis probaturus regnum maius bonum esse Consulatu, ita ratiocinetur: Quod diuturnius bonum est, maius bonum est, sed regnum diuturnius bonum est Consulatu, est igitur maius bonum. Aliquando posita extra argumentationem uires illi exhibent: ut si probet aliquis plantas animalia non esse, quia non sunt substantiæ sensus participes: Argumentum nititur pronunciato, cui definitio non conuenit, nec res definita potest conuenire, quod extra argumentationem positum est. Locus differentia maximæ propositionis appellatur, quo pronūciata ipsa & cōmunes sententiæ distinguntur, ut locus à genere, locus à forma, locus à definitione. Cùm enim sint hæc duo axiomata, à quo remouetur definitio, remouetur etiam & res definita: A quo remouetur genus, remouetur forma, in eo differunt, quòd alterum sumitur ex loco generis, alterum ex loco definitionis. Non ignoro diuisionem hanc à quibusdam reprehendi, sed Aristot. uideo maximè probari, qui frequentißimè locum explicans, ex quo argumentum depromptum est, communem aliquam sententiam adducit in medium. Quod facilè intelliget, qui libros Topicorum attentè perlegerit.

### De diuisione Loci, qui uocatur Differentia maximæ propositionis,

### CAPVT IIII.

EX uno atq; eodem loco communes sententiæ non paucæ eruuntur: ita eorum locorum, qui uocantur differentiæ maximarum propositionum, minor est numerus. Horum igitur explicanda nobis erit diuisio. De partitione autem eorum magna est disceptatio, sed

minus utilis, quàm ut tractari debeat à nobis. Parũ enim refert quo modo diuidantur loci curiosè & anxiè nimis disputare. Illud potius curæ esse debet, ut certus eorum numerus teneatur, tum quæ sit uniuscuiusq; uis & natura, postremò quo pacto ex singulis ad confirmanda, aut refellenda problemata argumenta ducantur. Sequemur igitur diuisionem locorum in Rhetoricis ab Aristotele traditam, & à Cicerone receptam. Loci bifariam diuiduntur. Alij sunt interni ac rei insiti, alij assumpti, hoc est, à re, de qua quæritur, longè lateq; disiuncti. Quæ diuisio ita commodè explicabitur. Quæstio omnis de qua suscipitur disputatio, duabus partibus continetur, subiecto scilicet & attributo. Hæc suas habent essentias atque naturas, partes ex quibus conflatur, postremò alia permulta, quæ tametsi in numerum partium non recipiantur, ipsam tamen substantiam quodammodo respiciunt. Hæc omnia insita rei à Cicerone uocantur. Alia, quibus nihil horum conuenit, externa & foris assumpta. Internus igitur locus is erit, qui aut totam rei substantiã declarat, aut partem indicat, aut aliquid continet, quod substantiam alicuius extremorum quodammodo attingit ac respicit. Externus uerò, qui nil prorsus cum extremis quæstionis habet commune: cuius generis sunt locus à testimonijs, locus ab autoritate.

*Duplex locus.*

De locis internis, qui rei substantiam comprehendunt,

CAP. V.

Loci interni duplices sunt, alij in toto, id est, qui totam rei substantiam comprehendunt: alij, qui ad rẽ ipsam de qua agitur, quodammodo sunt affecti, qui uel

partem tantum continent substantiæ, uel aliquid, quod ad substantiam quodammodo est affectum. Prioris generis sunt tres tantum loci, à definitione, ab enumeratione partium, ab ethymologia. Locus à definitione primus est ac potißimus. Ex ea enim efficax argumentum ducitur, & certißima omnium argumentationum conficitur demonstratio. Per definitionem autem non solùm substantialis definitio intelligenda est, sed descriptio. Hic locus ualet ad confirmandum & refellendum: & argumenta, quæ ex eo ducuntur, ex ijs principijs uim accipiunt: Cui definitio conuenit, necesse est rem definitam conuenire: Et à quo remouetur definitio, remouetur quoq; & id, quod definitur. Quibus duo alia altera ex parte respondent: cui definitum competit, competit etiã & definitio: & cui definitum non tribuitur, nec definitio tribui potest. Confirmationis hoc potest esse exemplum: Si sit probandum Astrologiam Medico esse necessariam, ex definitione subiecti ita argumẽtabimur: Ars quæ loca & motus syderum, positum & constitutionem astrorum docet, & ex ijs futura prædicere, necessaria est medico: Astrologia autem est huiusmodi: necessaria igitur est Medico Astrologiæ cognitio. Ex eodem loco ad confutandum & refellendum ita ducitur argumentum. Sit quæstio, Necromantiam hominem Christianum non decere, illa sic confutabitur: Ars, quæ per umbrarũ euocationes & inferorum colloquia docet futura diuinare, indigna est Christiano homine: Necromantia est huiusmodi: ergo non decet hominem Christianum. Idem fieri potest sumpta definitione attributi ad hunc modum: Christianus est, qui Christi legem profitetur &

Primus locus à definitione.

ser-

seruandam promisit, sed hunc non decet Necromantia, ergo non conuenit homini Christiano. Hinc constat, usum huius loci latißime patere, non solùm quia ad cõfirmandum ualet & refellendum, sed quoniam ex definitione subiecti & attributi, ac utriusq; ad ista præstanda, necessaria argumenta sumi possunt. Secundus locus eorum, qui sunt in toto, est ab enumeratione partium: qui multiplex est, quemadmodum sunt & multæ partiũ differentiæ: quæ sumuntur ex differentijs totius. Totum enim multifariam dicitur. Aliud est totum uniuersum multas sub se partes complectens, quarum unaquæq; est ipsum totum, ut animal. Aliud est totum integrũ, quod ex multis partibus constat, sed de singulis non effertur, ut domus. Nam nec fundamentum domus est, nec paries domus. Totum integrum est etiam duplex, similiũ partium, & dißimilium. Similium, cuius partes nomen totius accipiunt, ut aër, aqua. Omnis enim pars aëris est aër. Dißimilium uerò, cuius partibus non conuenit nomen totius, ut homo. Partium quoq; duplex est diuisio. Aliæ sunt sub toto uniuerso contentæ, & formæ uocantur. Aliæ totius integri. Hæ uerò aut totum necessariò sequuntur, ut in homine caput, cerebrum, cor. Quauis enim harum sublata interimitur homo. Aut non sequuntur totum ex neceßitate, ut manus, pes, digitus. Absque his enim nihil prohibet hominem uiuere. Locus ab enumeratione partium totius uniuersi, ad confirmandum ualet & ad refellendum. Confirmamus autem ex eo loco duobus modis, aut cùm ex partibus singulis colligimus totum: ut particeps rationis est, igitur animal: aut cùm partes alias interimimus & auferimus: ut unam

*Locus ab enumeratione partium.*

astruamus: ut animal omne aut particeps rationis est, aut expers, homo est animal non expers rationis, igitur particeps. Ad refellendum uerò argumentum ex hoc loco ducitur ad hunc modum, aduersa eidem subiecto inesse non possunt, nec contradicentia, nec priuantia, aut relata: ergo contraria non possunt eidem subiecto conuenire. Quæ argumẽtatio uim habet ex hoc principio: Quod nulli parti conuenit totius, id nec toti potest conuenire, sublatisq; omnibus partibus totius uniuersi, necesse est & ipsum totum interimatur. Locus ab enumeratione partium totius integri ad utrunq; ualet, & ad confirmandum & ad refellendum. Argumentum ad cõfirmandum ita tractatur, fundamentũ est, parietes sunt, tectũ est: ergo domus est. Radix est, caudex, rami, frõdes: igitur arbor est. Quibus argumentis uires exhibet hic communis locus: Quod conuenit partibus totius integri omnibus, id necesse est toti conueniat. Ad refellendũ ita ducitur argumentum, ut sublatis partibus omnibus aut certè necessarijs, totũ etiam interimatur: ut nec inuentio est, nec iudicium: ergo nec Dialectica: nec causas nouit humanarum rerum nec diuinarum, non est igitur Philosophus: caput non habet, ergo non est homo. Quemadmodum autem à partibus argumenta ducuntur, ita quoq; à toto & uniuerso & integro. A toto uniuerso, quæ sit argumentandi uia, in loco generis explicabitur. Quod ad totum integrum attinet, efficax ex eo argumentum ducitur ad confirmandum, non ad refellendum. Si enim sit totum, necesse est partes existere: ut fundamentum, si domus existat: & inuentionem ac iudicium, si sit Dialectica. At toto interempto non simul-

*A toto integro ducitur argumentũ ad confirmandum tantum.*

Aliud ge- nus totius simul partes interimantur. Nam si domus non sit, non propterea sequitur fundamentum non esse. Hæc de toto integro intelligenda sunt. Nam in eo genere totius, cuius partes facultates sunt & potentiæ, cuiusmodi est anima, argumentum ad utrunq; ualet, & ad confirmandum & ad refellendum. Recte ita colligimus, rationalis anima est, ergo & uoluntas est & intellectus: Non est rationalis anima, igitur nec intellectus neq; uoluntas. Postremus locus est ab Ethymologia seu notatione uerbi, ex quo argumentum ducitur & ad confirmandum & ad refellendum, efficax quidem & ualidum, quando nominis interpretatio cum ipso nomine mutuo reciprocatur & commeat: ita ut definitionis uim obtineat. Vt ius statuere utile est, ergo iustitia utilis: non est sapientiæ studiosus, ergo nec Philosophus. Quando autem uerum etymon uocabuli non constat, & nominis interpretatio non reciprocatur cum nomine, argumentum quod hinc ducitur, mouere suspitionem aliquam potest, & ab Oratoribus frequenter usurpatur. Ad probandum autem, aut ad refellendum, parum aut nihil habet uirium: ut si quis ita argumentetur, lædit pedem, lapis igitur est. Argumenta, quæ ex isto loco ducuntur, hinc habent uim, quòd nomina rebus ita sunt indita, ut cum earum naturis & affectionibus quadrent atq; conueniant. Sic enim existimare oportet, eos, qui rebus nomina indiderunt, diligenter prius rerum naturas & affectiones scrutatos fuisse, & unicuiq; accommodasse nomen, non casu aut temerè, sed quale rei natura exigebat.

Locus ab etymologia.

De

## De locis, qui ad rem de qua agitur sunt quoddammodo affecti.

CAP. VI.

HActenus de locis, qui sunt in toto: nunc de illis agendum est, qui ad rem, de qua agitur, sunt quodammodo affecti: quorum primus est locus à coniugatis. Aristoteles casus à coniugatis distinguit. Casus uocat, ut, iuste, fortiter: cõiugata, iustus, iuste, iustitia. Nos coniugatorum nomine omnia complectamur, definiamusq; cum Cicerone, quæ ab eodem orta, uarie commutantur. Sic dicta, quod similitudine uocis sint quasi sub idem iugum deducta. Valet hic locus & ad confirmandum & ad refellendum. Quod enim in altero coniugatorum uerum est aut falsum, id uerum sit aut falsum in altero oportet: ut si iustitia laudabilis est, ergo quod iustè, fit laudabile erit: homo sum, humani à me nil putò alienum. Seruandum est in hoc loco, ut coniugatis utamur in ea significatione, qua coniugata sunt, alioqui nõ est ualidum argumentum. Si quis enim ita argumentetur, homines sumus, humana igitur tantùm curare debemus: humana autem uocet terrena & caduca, fallax est argumentatio. Quoniam nomen in aliam significationẽ transfertur, ab ea, qua est alteri coniugatum. Secundus locus est à genere. Hic nomine generis paulò latius utimur, quatenus complectitur id omne, quod commune est ac generale. Vocabiturq; species, quicquid continebitur sub aliquo communi ac generali. Ex hoc loco argumentum ducitur ad refellendum, non ad confirmandum. rectè sic argumentamur: Non est animal, igitur nõ est homo. Nullus color auditu percipitur, ergo nec albor.

Coniugatorũ definitio.

Coniugatorũ definitio.

Locus à genere.

bor. Communis locus, quo argumēta innituntur, hic est, interempto genere, interimitur species, & quod generi non conuenit uniuersè sumpto, nec speciei ulli cōuenire potest. Ad confirmandum siue sumatur genus indefinitè, siue uniuersè, non ualet argumentum. Primùm enim nō rectè sic colligimus: Quoddam animal mouetur, ergo homo mouetur: neq; hoc pacto recta fit argumentatio ac necessaria: Omne animal sentit, ergo omnis homo sentit: omnis homo uiuit, ergo Petrus uiuit. Nam re singulari interēpta, uerum est antecedens, falsum consequens. Loco generis coniunctus est maximè locus à forma: non minus quàm genus & species. Ex hoc loco efficax ad confirmādum ducitur argumentum. Nam cui forma conuenit, necesse est & genus conueniat, ut si homo est, rectè colligitur esse animal: si iustitia, uirtus. Ad refellendum non ualet hic locus. Sublata enim forma una, non est necesse genus interimi. Quòd si omnes formæ simul iungantur, interemptis omnibus genus etiam ipsum aufertur: & quod nulli conuenit formæ, uerè etiam à genere remouetur. Hoc modo argumentum hinc quoq; ducitur ad refellendum: ut si nec iustitia, affectus est, nec temperantia, nec fortitudo, rectè sequitur, nullam uirtutem esse affectum.

*Locus à forma.*

De locis à simili & dissimili.

CAP. VII

*Locus à simili.*

Similitudo rerum diuersarum ac differentium eadem est qualitas. A comparatione ita distinguitur, in similitudine res diuersæ comparantur, non in uno & eodem tertio, sed diuersis ac differentibus: in comparatione

tione uerò in uno atq; eodem tertio fit rerum diuersarum comparatio, ex quo uis pendet totius argumentationis. Valet hic locus ad affirmationem concludendam, & negationẽ. Argumenta autem ad hanc regulam diriguntur. Quod uerum est aut falsum in uno similium, probabile est, in alijs uerum aut falsum esse: ut quemadmodum nascentem flammam sequitur fumus, ita crescẽtem gloriam inuidia, quod confirmationis exemplum est. Confutationis erit ad hunc modum: quod est oculus in corpore, id est mens in anima, sed oculus dum humoribus uitiatur & obruitur, suo fungi munere non potest ergo neque mens cùm affectibus perturbatur. Ad hunc locum pertinet argumentum, quod ducitur à transmutata proportione: in quo sumptis quatuor extremis, quorum primum sese habet ad secundum, quemadmodum tertium ad quartum, concludimus ita se habere secũdum ad quartum, quẽadmodũ primũ ad tertium: ut quod est octonarius ad quaternariũ, idipsum est senarius ad ternarium: ergo quod erit octonarius ad senarium, idem erit quaternarius, ad ternarium. Dißimilitudo diuersa est habitudo rerum, quæ & ad confirmandum ualet & ad refellendum. Vim argumentis ex hoc communi loco suppeditat, quod uerum est in uno dißimilium, probabile est in alijs esse falsum, & quod in uno falsum est, probabile est uerũ esse in altero: ut belluarum est uiuere in diem, igitur hominum consilia non id tantùm, quod præsens est spectare debent, sed quod futurum ac sempiternum. Et rursus, non quemadmodum tenuis ac exigua cœna multis non sufficit, ita uox quantumuis exilis à multis audiri non potest. Quorum alterum confirmationis exemplum est, alterum confutationis. In argumentis, quæ

Locus à dißimilibus seu differentibus.

ex his locis petuntur, cauendum est, ne aut similia pro dißimilibus, aut dißimilia ac differentia pro similibus accipiantur: aut conclusio inferatur, quæ ad id in quo res sunt similes aut dißimiles, nullatenus pertineat. Fit enim, ut quicunq; error horum committatur, uim omnem ab ipsa argumentatione auferat. Vt si quis ita argumentetur: Quod est in artibus Dialectica, idipsum est Rhetorica: Dialecticæ autem finis est rei cuiuis propositæ fidem facere differendo, ergo Rhetoricæ idem erit finis. Quod argumentum ualidum non est, quia conclusio illud non spectat, in quo Rhetorica & Dialectica sunt similes: quæ duæ artes in eo tantùm conuenire dicuntur, quòd eandem habent materiam subiectam. Potest etiam eiusdem esse exemplum, si quis ita colligat: Quod est oculus in corpore, idem est mens in anima; at mens, quæ uniuersa sunt percipit, & intelligit, & quæ non existunt: ergo oculus cernet quoq; res uniuersas & futuras. Hoc argumentum eodem errore peccat: in alio enim sunt similes oculus & mens, & conclusio aliud spectat longè diuersum. Idem uitium accidit in dißimilitudine, si sic argumentemur: Belluarum & hominum diuersa admodum ratio est: uiuunt autem belluæ, ergo homines non uiuunt. Nam belluæ ab hominibus in eo distinguntur, quod ratione careāt ac prouidentia, quibus præditi sunt homines: conclusio autem quæ infertur, ad aliud pertinet: Ita non est efficax argumentum. Sequitur cōtrariorum locus multiplex quemadmodum & ipsa contraria in multiplici sunt differentia. Vocatur autem contraria, quæ inter se repugnant. & eidem subiecto conuenire non possunt facta ad rem eandem

Locus cō trariorū

eandem comparatione. Qua ultima parte relata cōprehenduntur, quæ tamen si eidem subiecto conueniant, nō tamen comparatione facta ad eandem rem. Genera contrariorum quatuor sunt, aduersa, priuantia, relata, & contradicentia. Quænam aduersa sint, & quomodo diuidantur constat ex Postprædicamentis: nunc de usu huius loci dicendum est. Locus hic ualet ad refellendum, cuius maxima propositio est: Cui alterum ex aduersis conuenit, conuenire alterū nullo modo potest: ut si album est, non est nigrum: si bonum est, non est malum. Ad confirmandum non ualet hic locus, nisi aduersa sumantur medio carentia, & ad proprium subiectum comparentur: Recte itaq; in hunc modum colligimus, animal est & non sanum, igitur ægrum: numerus est non par, ergo impar. In his autem, quæ habent medium non ualet argumentum. Neq; enim si quippiam album nō sit, protinus sequitur esse nigrum, cùm poßit medio colore esse affectum. Præter has argumentandi formas duæ aliæ ex eodem loco ducuntur, & ad confirmandum, & ad refellendum utiles. Prior est, quando sumptis quatuor aduersis duobus subiectis & duobus attributis, si alterum ex attributis alteri ex subiectis conueniat, aut non conueniat, concludimus alterum alteri similiter aut conuenire aut non conuenire: ut uirtus est expetenda, ergo uitium fugiendum: uitium bonum non est, ergo nec uirtus mala. Altera argumentandi ratio est, qua ostendimus, si unum contrariorum sub aliquo genere contineatur, alterum sub eodem contineri debere: & quod non est alterius genus, nec alterius esse posse. Vt uirtutis genus est habitus, ergo & uitij idem erit genus: numerus

Quatuor genera cōtrariorum

Aliæ argumentandi formæ ab aduersis.

*nigri genus non est, ergo neq; albi. Quæ argumentationes ex hoc principio uim habent: aduersorum idem est genus. Verùm ista uera esse intelligentur in his tantùm, quorum generi nihil est contrarium. Cuiusmodi sunt uirtus & uitium, album & nigrum. In ijs autem, quorum genera contrarium habent, neq; ad confirmandum ualet argumentum, neq; ad refellendum: ut si sumantur liberalitas & auaritia, quæ sub eodem genere non continentur proximo, sed sub contrarijs: liberalitas sub uirtute, auaritia sub uitio. Alter contrariorum locus est priuantium, ex quo loco ad concludendam negationem efficax argumentum ducitur: cæcus est, ergo non uidet: mouetur, igitur non quiescit. Non enim possunt priuantia in eodem esse simul. Ad confirmandum ualet quidem argumẽtum, si proprium eorum accipiatur subiectum, & eo tempore, in quo natura constituit altero affectum esse debere. Vt animal est, & non uidet, ergo est cæcum: Alioqui si aut non comparentur priuantia ad propriũ subiectum, aut ante tempus à natura præfinitum, non ualet argumentum. Non enim sequitur, lapis non uidet, igitur est cæcus: & quamprimùm animal nascitur, etiã si dentibus careat, non proinde uerè edentulum dicetur. Alius quoq; in priuantibus est argumentandi modus, quemadmodum in aduersis, quando sumptis duobus subiectis, & duobus attributis, si attributum unum alteri subiecto conueniat, aut non conueniat, concludimus alterum alteri inesse, aut non inesse. Vt uisus est sensus, cæcitas igitur erit carentia sensus. Illa quoq; pars definitionis priuantium, qua priuantia circa idem subiectum fieri dicuntur, hanc suppeditat argumentandi formam, ut pri*

*Locus à priuãtibus.*

*Alia argumentãdi ratio à priuantibus.*

*ut priuationem illi cõuenire nõ posse uerè affirmemus, quod habitus non est capax: ut lapis aspicere non potest, ergo nec cæcus esse.* Ex relatis tertio contrariorum genere, argumentum ad refellendum ducitur, non ad confirmandum. Vt si cui conueniat patrem esse, rectè sequitur non esse filium, comparatione saltem facta ad rem eandem. At si cui non conueniat esse patrem, non proptereà rectè concludimus esse filium. Quoniam autem relatorum proprietas est, ut sint simul natura, si argumentum paulò aliter tractetur, ualebit & ad confirmandum, & ad refellendum: ut, dominus est, ergo seruus est: non est dominus, ergo nec seruus. Simul enim naturâ ea dicuntur, inter quæ reciprocatur status consequentia. Postremus locus est à contradicentibus, ex quo loco tam ad concludendam affirmationem, quàm negationem necessarium argumentum ducitur: & ex iis principijs uim habet: necesse est alterum ex contradicentibus omni rei conuenire, & utrunq; fieri non potest, ut de eodem simul dicatur. Quod Aristoteles his uerbis expreßit: De omni uera est affirmatio, aut negatio de nullo ambæ simul. Rectè itaq; sic argumentamur, homo est, igitur non est non homo: non est homo, est igitur non homo. Quorum alterum confirmationis exemplum est, alterum confutationis.

*A relatis*

*A cõtradicẽtibus*

## De loco à comparatione.

### CAP. VII.

*Locus à cõparatione.*

LOcus à comparatione tres habet formas, maius, minus, & par. Hæc plerisq; ex magnitudine metiuntur: ut sit maius, quod rei magnitudine superat. Ita ar-

*Formæ cõparatiõis tres.*

gumentum hoc à maiori ductum esse putant. Licet adulterum interficere, ergo licet loris cædere. Interficere enim maius quippiā est. Hæc si uera essent, ualeret quidem argumentum à maiori ad confirmandum: quod tamen in multis fallax est. Non enim sic rectè argumentamur: Bona existimatio expetenda est: ergo diuitiæ sunt expetendæ: cùm sit maius quippiam bona existimatio & præclariùs, quàm opes. Præstat igitur, ut cum Aristotele ista non ex magnitudine, sed ex probabilitate metiamur, & maiora dicamus, quæ sunt magis probabilia: minora, quæ minus uerisimilia: paria uerò, in quibus æqua est probabilitatis ratio. Locus à maiori ualet ad refellendum: uim ex hoc principio argumētis suppeditat, si quod magis rei inesse uidetur, non inest, ergo neq; illud inerit, quod minus uidetur conuenire. Vt summum bonum in bona existimatione non est collocandum, ergo neq; in diuitijs. Ad confirmandum non ualet argumentum ex hoc loco. Non enim si id uerum est, quod est magis probabile, uerum illud esse oportet, quod minus probabile ac minus credibile. A minori argumentum efficax ducitur ad confirmandum ex hoc principio: Si quod minus rei uidetur inesse, inest, inerit etiam quod magis uidetur eidem conuenire: ut si potest Reipublicæ consulere, poterit & domui suæ: si miles expugnare urbem potest, poterit & exercitus. Ad refellendum non ualet hic locus. Non enim si non licet furem interficere, neq; licebit loris cædere. Postremus locus est à pari, qui ualet ad utrunq;, ad confirmandum & refellendum. Parium enim ueri & falsi idem est iudicium, & quod uni conuenit, aut non conuenit, alteri quoq; conuenire, aut non

*Locus à maiori.*

*A minori*

*A pari.*

conuenire probabile est. Vt quæ pœna iusta est aduersus interfectorem matris, eadem aduersus interfectorem patris iusta erit. Qui ob iudicandum pecuniam accipit, ob falsum testimonium etiam accipiet. Ad hunc comparationis locum argumenta omnia referruntur, quæ aliquo exemplo rei propositæ fidem faciunt. Nam exemplum non est aliud, quàm maius aliquid, aut minus, aut par, quod ad rem aut confirmandam, aut refellendam ducitur: ut licuit Catoni sequi bellum ciuile, ergo licebit Ciceroni. Ab exemplo est & à pari. Illud quoq; Iunonis apud Virgilium: Pallásne exurere classem Argiuûm potuit: Ast ego, quæ diuûm regina incedo, & reliqua. Argumentum est à minori, cuius uis ita explicatur: Palladi licuit Argiuûm classem exurere, ergo licebit mihi has Troianorum reliquias perdere. Hactenus de loco comparationis. Sequuntur loci antecedentium, consequentium, & repugnantium Antecedentia uocantur, quæ rē ipsam ex necessitate antecedunt, non tam tempore, aut natura, quàm consecutione: sic homo antecedit animal, qui alioqui natura est animali posterior. Fit etiam ut simul in idem ista cadant, hoc est, quòd consecutione antecedit & naturæ ordine. Nam homo suis affectionibus consecutione prior est & natura: Aethiops nigrore, candore cygnus. Consequentia sunt, quæ rem ex necessitate sequuntur: ut animal hominem, lumen solem. Repugnantia sunt, quæ in idem cadere non possunt: ut diem esse, & non esse lumen. Locus ab antecedentibus in confirmatione ualet in omnibus. Continet autem hæc principia: Si quod antecedens rei cuipiam conueniat, ei etiā

*Loci antecedentiū, consequētiū, repugnātium.*

*Ab antecedentibus*

id quod est eius consequens conuenire oportet: Si quid antecedenti conuenit, id consequenti necesse est conueniat. Ex his ita argumentamur: Præmijs afficere bonos expetendum est, iustitia igitur est expetenda. Intemperantia est uitium, intemperantia igitur est habitus. In refutatione ualet hic locus in his, quæ cum consequentibus reciprocantur, cuiusmodi sunt species & differentia, forma & proprietas: quod enim in unum eorum cadit aut non cadit, id quoq; cadat aut non cadat in alterum est necesse. In cæteris locus non est utilis. Locus à cō-

*A consequentibus*

sequentibus ad confirmandum non ualet, nisi huius modi sumantur consequentia, quæ cum antecedentibus uicissim commeent: cuiusmodi sunt, species & proprietas. Ad refellendum firmus est & efficax. Argumenta ex his principijs uim accipiunt: Cui consequens non cōuenit, nec conueniet antecedens. Si consequenti aliquid non conueniat, idem nec antecedenti potest conuenire. Ex quibus ita colligimus, ignis non est, ergo nec fumus. Nulla uirtus est perturbatio, ergo nec iustitia. Locus à repu-

*A repugnātibus*

gnantibus ad refellendum firmus est: Quod enim cadit in unum repugnantium, id in reliquum cadere non potest: & cui unum conuenit, non potest alterum conuenire: ut homo est, non igitur erit sensus expers: amicus est, non igitur tenebitur nocendi cupiditate. In confirmatione locus non ualet. Non est enim necesse, ut si cui non conueniat alterum repugnantium, alterum conueniat. Id tantùm est eorum proprium, quæ contradictorio nomine opponuntur. Nihilominus argumentatio hæc ex loco repugnantium ducta esse putatur. Non & afficere præmijs bonos expetendum est, & non est iu-

stitia

stitia expetenda: afficere autem præmijs bonos expetendum est, iustitia igitur est expetenda: quam tamen ex loco antecedentium uim potius habere existimauerim.

### De loco à causis.

### CAPVT IX.

Cum sint genera causarum quatuor, materia, forma, finis, & efficiens: à forma argumentum ducitur ad refellendum in omnibus, ut si non est rationalis anima, nec homo erit: non est anima sentiens, ergo neq; animal. Sublata enim forma, id quoq; auferatur est necesse, cuius est forma. Ad confirmandum ualet argumentum in ijs formis, quæ separari non possunt: in ijs uerò, quæ separantur, nō est efficax. Non enim rectè sequitur, rationalis anima est, igitur homo est. Ab effectu ad causam in hoc genere argumentum ualet in omnibus ad cōcludendam affirmationem: ut si homo est, necesse est animam esse rationis participem. Ad concludendam uerò negationem, in ijs tantùm formis, quæ non separantur. A materia argumentum ad refellendum efficax ducitur: ut si non sunt lapides, nec ligna, domus igitur non erit. Ad confirmandum non ualet: non enim si illa sint, protinus necesse est, domum esse. In hoc genere effectus firmam habet confirmationem causæ. Si enim domus est, materia quoq; erit, ex qua constat: confutationem infirmam. Nam sublata domo, non tollitur materia. Ex fine de medijs censetur, quibus finis comparatur. Itaq; si finis sit in bonis, media itidem in bonis erunt, & si non sit in bonis, neq; media. Rectè sic argumentamur, bene dicere ad persuadendum honestum est & utile, ergo

*Locus à causis, à forma.*

*A materia.*

*A fine.*

*honesta & utilis Rhetorica: Interficere quenquam impium est & malum, ergo pecuniam dare aut accipere ad interficiendum, malum est. Valet quoq; ad refellendum. Postremus locus est ab efficiente causa. Sunt autem efficientis causæ diuisiones tres. Prima est, causæ aliæ necessitatem in agendo sequuntur: aliæ delectum. Necessitate ad agendum ducuntur, quæ citra cognitionem agunt, ut ignis. Sequuntur delectum, quæ cognoscunt & liberum habent arbitrium, ut homines. Illæ ut agant id tantùm exigitur, ut possint agere, & materiam habeāt in quam opus suum explicent. In ijs uerò, quæ posterioris sunt generis, duobus opus est, ut possint, & ut uelint. Ita cùm de facto quæstio est, primùm potuisse rem facere eum, qui accusatur, ostendimus: deinde uoluisse. quæ si constiterit esse uera, quod reliquum est, facilè probatur, hoc est, fuisse rem factam ab eo, qui eius autor esse perhibetur. Secunda diuisio, causæ aliæ solæ uim habent efficiendæ rei: hoc modo, sol causa est diei. Sola enim eius latio diem efficit. Aliæ rem quidem efficere, possunt, sed non solæ: ut ignis calorem efficit, sed potest calor ex alijs quoque causis proficisci. Tertia causarum diuisio est, ut aliæ sint principes ac præcipuæ, quas imperantes appellarit: aliæ, quæ obsequuntur, & eæ, quædam ita obsequuntur, ut aliquid efficiant: aliæ adiuuantes causæ sunt, & accessiones quædam ad agendum, ut locus, tempus, instrumenta. Harum omnium exēpla in ædificanda domo cernūtur. Architectus, qui præest operi extruendo, princeps ac præcipua causa est. Quid enim fieri debeat, & quomodo, iubet ac imperat. Qui ligna cædunt, lapides parant, causæ sunt, quæ obsequun-*

*Ab efficiente causa.*

quuntur & efficiunt aliquid. Instrumenta autem nil efficiunt, sed conferunt ad agendum. Sic quoq; in re militari Imperator causa præcipua est ac imperans: milites causæ sunt, quæ obsequuntur: tormenta autem bellica & totius belli apparatus, sub ultimo genere continentur. Nunc de usu huius loci dicendum est. Primum ex ijs causis, quæ necessitatem in agendo sequuntur, & solæ uim habent efficiendæ rei, argumentum ad confirmandum ducitur & refellendum, & ab effectu quoque ad causam argumentatio conuertitur ad utrunq;: ut si sol est, dies est: si non est sol, nec dies. Si dies est, necesse est solem supra nostrum hemisphærium ferri: & si non est dies, non est solis latio. In ijs autem causis, quæ solæ non habent uim efficiendæ rei, argumentum ualet ad confirmandum, non ad confutandum: ut ignis est, igitur calor est: non est ignis, igitur non est calor, non rectè sequitur. Est etiam in hoc genere alia argumentandi ratio, qua non concludimus ex causa effectum esse, aut non esse: sed effectui conuenire, aut non conuenire, quæ causæ insunt aut non insunt. Argumenta uerò, quæ ita tractantur, uim habent, si ex aliquo communi principio & capite ducantur. Quæ tametsi multa sunt, tria tamen hæc maximè sunt in usu. Primum est, si causa sit in bonis, laudabilis aut expetenda, effectus similiter in bonis erit & expetendus: si fugienda causa, itidem & effectus: ut si expetenda est frugalitas, ergo & liberalitas: si cupiditates malæ, & fugiendæ: ergo inimicitiæ, bella, quæ ex illis nascuntur, fugienda sunt. Alterum principium est, si causa à natura profecta est, & effectus: ut si natura coniunxit homines & coëgit in unum, eadem quoque

Respu-

Respublicas procreauit. Tertium principium est, si principium habuit causa, & effectus: & si causa habitura est finem, habebit etiam effectus. Vt cœlum principium habuit, ergo generatio harum rerum, quæ sunt in hoc mundo sensili, cœpit aliquando. Rursus motus cœli aliquando cessabit, ergo generationes quoq; & transmutationes elementorum finem habebunt. Ex causis, quas adiuuantes uocauimus, etiam argumenta petuntur. Ex loco, ut natus est cœlo temperato, ergo ingeniosus est. Boreas spirat ex locis polo subiectis, est igitur uentus frigidus. Ex tẽpore, plures quadraginta dies natus est puer, ridere igitur potest: uix integrum annum uersatus est in studijs Philosophiæ, non igitur potest in ijs esse perfectus. Ex instrumentis, non habet argumenta, nec fidem igitur faciet rei. In causis, quæ sequuntur in agendo delectum, quoniam duobus opus est, ut agant, ut poßint, & uelint, ad refellendum ualebit argumentum. Nam si utrumuis eorum auferatur, non sequetur effectus: ut si ambulare non potest, nec ambulabit. Non ambulat, quia ambulare non uult. Contrà ex effectu ualet argumentum ad confirmandum: ædificat, ergo ædificare uult & potest. Ad refellendum non ualet. Non enim si quis non ambulet, protinus sequitur nõ posse ambulare, aut nõ uelle.

## De loco ab adiunctis.

### CAPVT X.

Locus ab adiunctis

VLtimus locus est ab adiũctis. Vocantur adiuncta, quæ rem uel antecedunt, uel sequũtur, uel cũ ipsa coniuncta sunt, non tamen ex neceßitate. Argumẽtis ex hoc loco petitis res nõ certò probatur: ualent ad mouendam suspicionem aliquam. Vnde fit, ut Oratorum sit potius

tius hic locus, quàm Dialecticorum: cuius frequentißimus est usus in cõiecturalibus causis. Nam cùm de facto quæstio est, sitne quispiam ab aliquo interfectus, ex adiũctis argumenta ducuntur ex ijs, quæ rem præcesserunt, ex colloquijs, ex apparatu, & quæ cum re sunt coniuncta, strepitu, fuga. Ex ijs quoq; quæ sequuta sunt rẽ, ex pallore, metu, titubatione: quæ etiam si rem non necessariò probent atq; demonstrent, uerisimilem tamen illam utcunq; efficiunt. A Dialecticis hinc etiam aliquando ducuntur argumenta: ut cùm ingeniosum esse concludimus cùm sit Dialecticus: cogitabũdum, quia Mathematicus: fallacem ac deceptorem, quia Sophista. Hactenus de locis Dialecticis internis.

## De locis externis.

### CAPVT XI.

HI sunt, quos diximus interni loci, hæc, quam explicauimus ipsorum tractatio. Reliquum est ut de externis agamus, quorum argumenta artis expertia uocantur, non quòd sine arte tractentur, sed quòd sine arte inueniantur. Probationes omnes artis expertes sola ea, quæ à testimonijs ducitur, comprehenduntur. Ita unus erit externus locus à testimonijs, uel Cicerone autore, qui reliquos omnes complectitur. Vocabitur autem testimonium, omne quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. Fabius Quintilianus testimonia siue diuina, siue humana in octo species distribuit, in præiudicium, rumorem, tormenta, tabulas, iusiurãdum, testes, iudicium siue gentis, siue populi sapientis siue clari uiri, tum deniq; in autoritatem Dei. Præiudicium est, res, quæ cùm statuta fuerit, adfert iudicaturis exemplum, quod sequantur. Fama est, ciuitatis consensus & uelut

publi-

publicum testimonium: uel sermo sine certo autore dispersus. Quæstio dicitur, ueritatis per cruciatus & tormenta corporis inquisitio atq; expreßio. Per tabulas omnia litis instrumenta intelliguntur, ut chyrographa. Iusiurandum est, per religionem expressa oratio eruendæ ueritatis gratia. Testes qui sint satis apertum est. Iudicium est, ut si quid uisum est gentibus, populis, sapientibus, claris uiris, Poëtis, ut differenti de uitæ incommodis conferet plurimum earum nationum cõsuetudo, quæ fletibus natos, lætitia defunctos prosequuntur. Si quis ad uirtutem hortetur, apte ex sapientum præceptis sumet autoritatem. Præterea ex Poëtis trahet sententias, qualis est illa Virgilij.

Stat sua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus est uitæ: sed famam extendere factis
Hoc uirtutis opus.

Ea quæ uulgo recepta sunt, hoc ipso quòd habeant incertum autorem, fiunt uelut omnium: qualia sunt Adagia ab hominibus recepta & probata. Autoritas dei prima est, & earũ rerum, quas scimus à deo profectas. Dei uoluntas à Christo unigenito eius filio declarata est nobis in responsis, quæ patres & sancti Dei homines acceperunt, & ante Christum natum & post. His accedunt somnia & signa ea, quæ pro certo habemus à Deo immitti: uaticinia hominum diuino numine instinctorum ut Prophetarum. Dei autoritati proximus est consensus generis humani, in quo sunt naturales quædam informationes animorum: unde existunt æquitas & humanitatis officia. Cuius generis sunt, quæ quisq; ab alijs optat sibi, eadem & faciat: & quæ sibi

non

*non uult, alijs ut non fiat curet.* Ex *hominibus grauißimi ponderis ad fidem sunt, sapientes & probi: ut philosophi, legum latores, Rectores patriæ: à quibus populi ad uirtutem & recti custodiam formantur.* Amicis *plurimum tribuimus, de quorum ingenio & peritia bene sentimus.* Sic *quoq; magnoperè fidimus ijs, quæ à parentibus accipimus, præceptoribus, à quibus nunquam nos falli suspicamur.* Ad *quem locum pertinent ea, quæ magni uiri ijs præceperunt, quos habebant charißimos.* Dei *autoritati nemo ausit repugnare, quē certò scimus nec uelle, nec posse quenquam fallere.* Hominum *autoritas multis modis eleuatur.* Primum *quòd qui dicit, ignoret quibus loquitur, uel natura, uel imperitia.* Con*tradicere sibi quempiā, alijs ipsius dictis fidem detrahit: tum ostensum esse aliquid falsum asseruisse.* His, *quæ citra studium ac diligentiā dicta esse probantur minus credimus.* In *scriptoribus, si quid reprehenditur, sic excusare solemus, exēpli causa positum est, dixit aliena fide.* Locus *& tēpus detrahunt, aut addūt dictis authoritatē.* Quod *inter pocula, inter nugandum dictum est, parui est momenti apud homines.* Contrà, *si quid in Senatu, apud populum, plurimum habet autoritatis.* Spectatur *modus: iocò dixit, ridens, seriò: quæ signa esse solent, quemadmodum quis sentiat.* Autoritati *pondus detrahitut, si existimatur is qui dixit uoluisse fallere.* Locus *& tempus mutant uim dicti uel facti.* Multa *olim recte aut facta aut dicta sunt, quæ hoc tempore non expediunt.* Licuisset *nobis hoc loco finem huic disputationi imponere, nisi unus superesset scrupulus, quòd cùm sint quatuor genera quæstionum exempla omnia, quæ confirmari*

*Autoritas quomodo eleuetur.*

firmari

*firmari ex locis, aut refelli monstrauimus, solam ad accidentis quæstionem pertinere uideantur, cætera uerò quo pacto ex iisdem locis probari, aut confutari poßint, non ostendimus. Sed ne hic scrupulus quempiam malè habeat, quæstiones alias tractari ex iisdem locis paucis docebimus. Quæstio generis est, sit ne animal hominis genus, an non sit? Hæc ex definitione generis, hoc modo, confirmabitur: Animal ita in hominibus intelligitur, ut de ijs, ac de alijs præterea specie differentibus in quæstione, qua quid res sit quæritur dicatur, animal igitur genus est hominis. Idem locus magnam in refutatione suppeditabit copiam. Nam cum generis definitio multas partes complectatur, si quæ absit, nō esse genus quod quæritur ostendemus. Locus à genere confert etiam ad eandem tractandam quæstionem. Sit probandum, nigrum non esse genus corui, ostendetur hoc pacto, Coloratum, quod genus est nigri, non est genus corui: non igitur nigrum corui genus esse poterit. Locus cōmunis, Cuius genus non est id quod supra est, eius non est quod infrà est genus. A coniugatis exemplum erit huiusmodi: Quod scienter fit, non est genus eius quod iustè fit, ergo neque scientia genus erit iustitiæ. In confirmatione ualet idem locus, sentiendi iudicare genus est: sensus igitur genus erit iudicium. Locus contrariorum etiam ualet ad eandem quæstionem & confirmandam & refellendam. Exemplum hoc erit confirmationis: Virtus temperantiæ genus est, ergo uitium erit intemperantiæ. Locus communis, si contrarium contrarij genus est, & propositi id, de quo agitur, genus sit necesse est. Confutationis, actionis qualitas non est genus, ergo nec perpeßionis est.*

*est. Locus cõmunis: Quorum cõtrariorum alterius nullũ genus est, nec alterius esse. Ad quæstionem generis problema differentiæ reuocatur, quod ex iisdem locis potest explicari. Id uerò qua ratione fiat, per ea quæ de genere diximus, potest facilè intelligi. Ad cuius etiam normam & similitudinem dirigenda est quæstio speciei: & ea quoq;, qua quærimus, sint ne aliqua sub eodem genere, an non? Quæstio definitionis per eosdem locos tractatur. Sit quæstio, animal particeps rationis, an sit hominis diffinitio? Hæc ex loco diffinitionis ad hunc modum confirmabitur. Oratio explicãs hominis naturam ambitu quàm breuißimo, est hominis definitio, atqui animal particeps rationis est huiusmodi, erit igitur hominis definitio. Ex eodem loco confutabitur definitionis quæstio, si partem aliquam earum, quæ desyderantur, abesse monstrauerimus. Locus ab aduersis confert ad idem genus tractandum hoc modo: quod bono afficit, eius quod prodest est definitio: ergo quod malis afficit, erit eius definitio quod obest. Locus communis, contrarij contraria est definitio. Loci quoq; generis & differẽtiæ ad explicandam definitionis quæstionem plurimùm conferent, præsertim cùm ex his partibus definitio coalescat. Sequitur quæstio proprietatis, cui tractandæ ijdem loci seruient. In primis definitionis locus, si conuenit omni, soli ac semper, & uicißim commeat, proprium erit: si quid horum non conueniat, non erit proprium. A consequentibus, non semper conuenit, igitur non est proprium. A repugnantibus, dicitur in quæstione quid est, non est igitur proprium. Vtile quoq; erit ex generis; speciei, differentiæ, accidentis definitioni-*

*bus id, quod alicuius proprium esse dicitur, non esse ostendere.* Accidentis *quæstio ea, in qua sit ne attributum subiecti accidens quæritur, an nō sit, ex ijsdē locis aptissime confirmatur ac refellitur.* Ex *definitione, potest in re inesse & à re abesse sine eius interitu, est igitur eius accidens.* Non *potest, igitur rei non accidit.* Ab *enumeratione partium, non est rei accidens separabile, nec inseparabile: igitur non est accidēs:* In *confirmatione hoc modo: est accidēs separabile aut inseparabile rei, igitur est eius accidens.* Ex *repugnantibus, dicitur in quæstione quid est, igitur rei non accidit.* Potest *hæc quæstio atque adeò priores illæ omnes, argumentis ex alijs locis ductis, tractari, sed nobis propositum non est omnes persequi.* Ac *de* Dialectica *ratiocinatione & locis ex quibus* Dialectica *argumenta promuntur, tum de* Dialecticis *quæstionibus & earum generibus, ac quis sit earum tractandarum modus, dictum est.*

Libri octaui finis.

Composi-

# COMPOSITIONIS DIALECTICAE DE SOPHISTICIS REPREHENSIONIBUS, Liber nonus.

## *Quae sint communia Dialectico & Sophistae, & quibus differentiis separentur.*

CAP. I.



*Vm nō sit satis quae bona sunt praecipere, nisi etiam quae nocent, quemadmodum uitentur, eisq; occurri posit, doceas: sitq; periti medici non solùm eorum exactam rationem tenere, quae salubria sunt, sed illa quoq; nouisse ac docere posse, quae grauiter nocent, Dialectici quoq; intererit non modò praecepta, quibus necessaria argumentatio confici docetur, intelligere ac tractare, sed quae fallaces sunt & deceptoriae, ut cauere ab illis posit: & si quando in disputationibus occurrant, quomodo soluendae sint, non ignoret. Inscribitur haec tractatio de Sophisticis redargutionibus, propterea quòd loci in ea traduntur, ex quibus captiosae argumētationes depromi solent: tum qua uia & ratione sint diluendae, docetur. Quod Aristote. duobus libris Elenchorum complexus est. Redargutio uocatur, quando is qui respondet, ui alicuius argumentationis negare cogitur, quod antea concesserat, aut concedere quod negauerat. Quòd si necessaria argumentatione praestetur ac fiat, uera redargutio dicitur: si autem captiosa & apparenti, falsa & apparens tantùm. Qualis fuerit; si*

*quis hac argumentatione conuictus, homo est animal, animal est genus, ergo homo est genus: conclusionem fateatur ueram esse, quam antea negauerat. Porrò inter dialecticum & sophistam discrimina sunt multa, quibus separantur. Nec omnino tamen diuersi sunt artifices, ut nihil habeant commune. Sunt enim in utroq; multa eadem, de quibus omnibus breuiter est dicendum. Ac de ijs primum, quibus distinguntur. Quæ, ut prætermittantur alia non pauca, tria sunt potißimum, genus disputationis, finis, & instrumenta. Genus disputationis in utroq; diuersum est. Nam Dialectica disputatio per ea exercetur, quæ uerè probabilia sunt & fidem rei propositæ uerè faciunt. Sophistica autem constat ex captiosis argumentationibus & apparentibus, quæ speciem quidem habent probabilium, uerè autem probabiles non sunt. Alterum discrimen sumitur ex fine. Est enim Dialectici finis, in rebus omnibus explorare, quid uerum sit, quid falsum, & in disputatione uerè conuincere respondentem. Sophistæ uerò, quoniam id uehementer exoptant, ut sapientes habeantur, in id tantum incumbunt, atque hunc habent finem sibi propositum, ut uideantur respōdentem uicisse, etiamsi nil minus præstiterint. Quæ ut consequantur, incommoda statuerunt quinq; apparentem redargutionem, manifestè falsum, inopinabile, solœcismum, nugationem. Semperq; in disputationibus student ad aliquod ex his incommodis respondentem pertrahere. Id enim si fuerint assequuti, respondentem uicisse plani uidebuntur. Apparens redargutio, quænam sit diximus. Manifestè falsum uocatur id, de quo falsum sit nec ne, uix ullus ambigit. Quod Sophistica argumen-*

*tatione ita concludi poteſt , omnis taurus eſt animal, taurus eſt mons,mons igitur eſt animal.Inopinabile dicitur,quod eſt præter communem opinionem & omniũ ferè ſententijs repugnat. Quale eſt in philoſophia,ex nihilo aliquid fieri. Quod etiam captioſa argumentatione ita poteſt colligi,ex priuatione fit aliquid,priuatio autem nil eſt, ergo ex nihilo fit aliquid. Quartum incommodum ſolœciſmus eſt,ad quod pertrahitur reſpondens, cùm ſophiſtica argumentatione conuictus, concluſionem fatetur,in qua committitur hoc uitium. Quod fieri poteſt ad hunc modum, hoc quod uides tu noſti, hoc autem quod uides Ariſtoteles eſt , ergo Ariſtotel.noſti. Vltimum incommodum eſt nugatio , quæ definitur inutilis eiuſdem rei repetitio. Hæc autem aut expreſſa eſt & manifeſta,aut occulta & tacita. Manifeſta eſt quando bis eadem uox ſumitur. Vt homo,homo eſt animal. Tacita uerò quãdo bis idem accipitur,non tamẽ ſub eadem uoce. Idq; fit quotieſcunq; minora maioribus præponuntur, & particularem uocẽ ſequitur generalis. Vt ſi quis dicat homo animal. Hic enim animal bis ſumitur. Nam & in homine iam continetur, & iterum exprimitur ſecundo loco . Quod ſi tranſponantur uoces ad hũc modum,animal homo , non committitur nugationis uitium. Continetur enim in animali homo,non actu tamẽ, ſed uirtute ſolùm & poteſtate. Tertium diſcrimen ſumitur ex inſtrumentis . Dialecticorum enim inſtrumentum eſt ſyllogiſmus, qui cõficitur ex uerè probabilibus. Sophiſtarum autem, Sophiſticus,in quo ſumuntur , quæ ſpeciem quandam habent probabilium, uerè tamen probabilia non ſunt. Quale eſt illud : Quod quis non ami-*

*sit, hoc ipsum habet.* Hoc enim etiã *si primo aspectu uerum esse uideatur, protinus tamen falsum esse deprehenditur.* Sophisticus *syllogismus in tres partes diducitur. Alius in materia peccat, alius in forma, alius in utroq;. Peccat in forma, qui in concludendo leges syllogismi nõ obseruat, ut cùm in primo genere syllogismorum negat assumptio, aut enunciata sunt particularia.* Peccat in *materia, qui quamuis rectè concludat, sumit quæ falsa sunt: ut omnis lapis est animal, quoddam lignum est lapis, ergo quoddam lignum est animal.* In *utroq; uerò, cuius & uitiosa est cõnexio, & falsæ sumptiones.* Addẽdus *hic est, qui pseudographus dicitur, seu falsigraphus.* In *quo principium alicuius disciplinæ proprium accipitur, sed malè intellectum. ut* Omnes *lineæ ductæ à centro circuli ad circunferentiam sunt æquales; linea recta & obliqua ducuntur à centro circuli ad circunferentiam, ergo sunt æquales.* Nam *propositio principium est proprium* Geometriæ, *uerùm quidem, si de rectis tantùm lineis intelligatur, & in argumẽtatione aliter accipitur, perinde scilicet ac si posset lineis omnibus accommodari.* Dialectico & Sophistæ *duo sunt communia.* Communis *est in primis materia.* Nam Dialecticorum *materia res omnis est, cùm poßint de rebus omnibus argumentis probabilibus disserere: ita &* Sophistæ *res omnis erit subiecta; quia de omni potest disputare captiosis argumentationibus.* Conueniunt *etiam in eo, quòd uterq; habeat peculiares locos, ex quibus instrumenta omnia faciendæ fidei eruit,* Dialecticus *quidem ueros,* Sophista *autem in speciem tantùm.* Porrò Sophisticum *locũ licet nobis in illas easdẽ partes distribuere, per quas* Dialecticum

cum partiti sumus: ut sit alius communis locus, scilicet commune quoddam enunciatum: falsum quidem, sed habens speciem ueri: ex quo uim accipit Sophistica argumentatio, & certo studio comparata: cuiusmodi sunt, quicquid subiecto conuenit, conuenit accidenti, uox una rem unam declarat. Alius, differentia, qua communia hæc enunciata distinguuntur: ut homonymia, amphibolia, accentus. Quorum locorum diuisionem & numerum in sequentibus proponemus.

De locis Sophisticis, & in primis de Homonymia, & Amphibolia.

CAPVT II.

Loci Sophistici uulgò fallaciæ dicuntur, quos ita partitur Aristoteles, ut alios dicat esse in dictione positos, alios extra dictionem. In dictione positi sunt, qui captiosis argumentationibus uim, quam habent, ex dictione aliqua, aut oratione suppeditant. Extra dictionē uerò, qui nō ex dictione, sed aliunde uim Sophisticis argumentis subministrant. Loci in dictione positi sex sunt, homonymia, amphibolia seu amphibologia, compositio, diuisio, accentus, figura dictionis. Homonymia est, cùm nomen unum & idem multa significat rationibus diuersis. Cuius tres constituit modos Aristoteles. Primus est, quando nomen homonymum, quod in argumentatione sumitur, ex æquo multa significat. Vt omne expediens est bonum, malum est expediens, ergo malum est bonum. Expediens enim dicitur & id quod bonum est, & quod aliter fieri non potest. Secundus modus est, quādo nomē, quod rē unam anteà significabat, ex usu &

*De homonymia & amphibolia.*

consuetudine loquentium ad aliam significandam traductum est. Vt sanum, ridere. Potestq; sic connecti argumentatio captiosa, omne quod ridet habet os, pratum ridet, ergo pratum habet os. Tertius est, quando uoces per se simplices sunt, sed alijs adhibitæ significationes mutãt. Quod fit in hac argumẽtatione, quicunq; surgebat stat, sedens surgebat, ergo sedens stat. Nam dictio illa sedens in assumptione, quæ uerbum habet præteriti temporis, significat eum, qui sedebat anteà: in conclusione uerò, quæ uerbo constat præsentis temporis, eum tantùm, qui in præsenti tempore sedet. Secundus locus est amphibolia, quæ ab homonymia ita distinguitur, quòd illa in simplici tantùm uoce reperiatur, hæc in oratione integra: fitq; duobus modis, aut cùm oratio duplicem habet sensum & utrunq; simul obtinuit: aut cùm alter sensus orationi anteà inerat, alterum uerò ex consuetudine loquẽtium sortita est. Prioris modi exemplum est, omne quod uidet aliquis hoc ipsum uidet, lignum uidet aliquis, ergo lignum uidet. Posterioris, quicunq; littus arat, littus scindit aratro, qui rudem docet, littus arat: ergo qui rudem docet, littus scindit aratro. Principium quo nituntur argumenta ex homonymia ducta est, uox una rem unam notat. Huic simile est quod locus amphiboliæ cõtinet, una oratio unum tantùm sensum continet.

De alijs duobus locis Compositionis & Diuisionis.

CAPVT III.

*De locis cõpositionis & diuisionis.*

ENunciationes, in quibus modus poßibile collocatur, uel impoßibile, reddere duplicem sensum possunt, compositum & diuisum. Compositus est, quando ad idem tempus componuntur ac referuntur extrema.

Diuisum

Diuisus, quando diuidūtur ad diuersa tempora. Vt possibile est non scribentem scribere. Potest penes utrunq; sensum distingui. Compositus sensus sic explicatur, fieri potest, ut is qui non scribit, eodem tempore scribat. Diuisus ad hunc modum, fieri potest, ut qui non scribit, alio tempore scribat, & hic uerus est, alter falsus. Sunt prætereà, & alia pronunciata, quæ utrunq; sensum reddunt, quia uel subiectum, uel attributum diuisim accipi potest & coniunctim. Cuiusmodi sunt, quinarius est duo & tria: quicquid est particeps rationis uel expers, est homo. In his compositus sensus est, quando fit simplex enunciatio & una: quando uerò una in duas diducitur, sensus est diuisus: ut in secundo pronunciato explicabitur sensus compositus hoc pacto, omne illud, cui conuenit ut sit particeps rationis uel expers, est homo. Diuisus autem sic, omne quod est particeps rationis, est homo, uel omne quod est expers rationis, est homo. Præter hæc enunciationum genera, alia quoq; reperiuntur, utrunq; etiam sensum reddentia, propterea quòd uox aliqua, quæ in ijs collocatur, cum alijs partibus, aut coniungi potest, aut ab eisdem diuidi. Cuius generis est hæc, omne quod uiuit semper erit. In qua aduerbium illud semper, si cum uerbo erit, quod præcipuum in enunciatione locum obtinet, componatur, sensus compositus fit & falsus, significat enim id, quod uiuit perpetuò esse futurum: si uerò diuidatur ab eodem uerbo, diuisus sensus est, qui sic explicatur: omne quod uiuit semper, ac sempiternam uitam habet, erit. Quem sensum constat esse uerum. Ex duplici harum enunciationum sensu, duplex in argumētationibus nascitur locus, alter compositionis, alter diuisionis

uisionis. Cõpositionis est, quãdo sensus cõpositus est falsus. Diuisionis uero, quando diuisus sensus falsus est. Et quemadmodũ tria sunt enunciationũ genera, quæ in utroq; sensu accipi poßũt, ita triplex est utriusq; loci modus. Primus est, quando sumitur in argumentatione enũciatio aliqua primi ordinis. Vt quem poßibile est scribere, fieri potest ut scribat, non scribẽtem poßibile est scribere, ergo fieri potest, ut non scribens scribat. Et rursus, quem impoßibile est ambulare, fieri non potest, ut ambulet: sedentem impoßibile est ambulare, ergo fieri non potest, ut sedens ambulet. Prior argumentatio uitiosa est propter compositionis locum. Secunda propter locũ diuisionis. Nam assumptionis sensus diuisus falsus est, & compositus uerus. Secundus modus est, quando sumitur in argumentatione pronunciatum aliquod secundi ordinis. Vt omne quod est particeps rationis uel expers, est homo, omnis equus est particeps rationis uel expers, ergo omnis equus est homo: omnis numerus, qui componitur ex duobus & tribus, est duo & tria, quinarius non est duo & tria: ergo quinarius non componitur ex duobus & tribus. In his argumentationibus error est compositionis. Nam in altera propositio compositum sensum reddit falsum, in altera assumptio. Tertius modus est, quando in argumentatione sumitur enunciatio tertij generis. Vt omne quod uiuit, semper erit: quidam homo uiuit, ergo quidam homo semper erit: quicunq; scit literas, nunc didiscit illas, qui diu studuit Philosophiæ, scit literas, ergo qui diu studuit Philosophiæ, nunc didiscit illas. Locus communis diuisionis & cõpositionis est, una

oratio

oratio rem unam notat, siue unum reddit sensum. Distat autem oratio huius loci ab ambigua, quòd illa secundū uocem omnino una sit, & eadem continens extrema: hæc uerò tametsi constet ex eisdem uocibus, in utroque sensu, non eadem retinet extrema.

## De loco accentus, & figuræ dictionis.

### CAPVT IIII.

Locus ab accentu.

LOcus accentus est, quando mutato dictionis accentu, aut uariata syllabæ quantitate, mutatur etiam & significatio: cuius tres modi constitui possunt. Primus est, quando accentus ex una syllaba in aliam transfertur. Vt si quis ita argumentetur, qui occidit moritur, qui alium interficit occidit, ergo qui alium interficit moritur. Si in medio termino in propositione accentus in antepenultima collocetur, in assumptione uerò in penultima. Secundus modus est, quādo uariatur syllabæ quātitas, quam sequitur significationis mutatio. Vt omnis populus est arbor, hominum congregatio populus est, hominum igitur congregatio est arbor. Populus enim producta prima syllaba arborem significat, si uerò corripiatur, conuentionem multorum. Tertius modus est, quando dictiones multæ, quæ multis accentibus proferuntur, coëunt in unam, aut contrà. Vt quicquid fit inuitè, fit coactè, uinum fit in uite, igitur uinum fit coactè: tu es qui es, quies autem priuatio est motus, tu igitur es priuatio motus. Refertur quoq; ad eundem locum argumentatio, in qua uox eadem alio atque alio spiritu prolata, aliam atq; aliam obtinet significationē: cuiusmodi est hæc, ora aquis proxima est, hora pars est temporis,

poris, pars igitur temporis aquis proxima est. Locus communis accentus est, uox una rem unā declarat. Differt autem uox cuius accentus mutatur, ab homonyma eodē discrimine, quo ambigua separatur, ab ea, quæ sensum reddit compositionis & diuisionis. Nā homonyma una est prorsus uoce, altera partim eadem, partim alia atq; alia. Locus figuræ dictionis, qui postremus est eorū, quos diximus in dictione positos est, quoties quæ dictionis figura conueniunt, uim eandem habere putātur & significationem, fitq; tribus modis. Primus est, quando quod masculinum est, fœmininū interpretamur, aut cōtrà. Vt substantia omnis calore affecta, est calida, uir est substantia calore affecta, ergo est calida. Secundus modus est, quando nomen, quod modum habet significandi prædicamenti unius, in id mutatur, cui conuenit longè diuersa significandi ratio. Vt quot digitos olim habuisti, hodie habes, paruos autem olim habuisti digitos, paruos igitur & nunc habes. In qua argumentatione quantitas in relationem mutatur. Tertius modus est, cùm uox significans quale aliquid, in uocem mutatur hoc aliquid significantem: Socrates est alius ab homine, Socrates est homo, igitur est alius à se: Socrates est homo, homo est species, igitur socrates est species. Locus communis est, uoces aliquo modo similes, uel sola figura, eandem habent significationem.

Locus figura dictionis.

De locis extra dictionem positis

CAP. V.

Loci positi extra dictionem septem sunt. Primus est accidentis, in quem uaria fallacium argumentorum genera cadunt. Possunt autē omnia in tres modos reuo-

*reuocari. Primus est, cùm ea, quæ subiecto tribuuntur, tribuuntur etiam eius accidēti, aut contrà: ut cognosco Socratē. Socrates est ueniens: igitur cognosco ueniētem. Secundus, quando quicquid superiori, ut generi accommodatur, inferiori etiam putatur conuenire, aut cōtrà: ut homo est animal, animal est genus, igitur homo est genus. Tertius, quando duobus uicißim commeantibus: quod cadit in alterum, ad alterum transfertur: ut homo est disciplinæ capax, disciplinæ capax, est propriū, igitur homo est proprium. Locus communis accidentis est, ijs, quæ aliquo modo conueniunt, omnia similiter insunt, aut non insunt. Ad hunc locum referuntur argumentationes non paucæ, quæ ex illo Dialectico principio uim habere uidentur: Quicquid ex consequenti sequitur rectæ argumentationis, sequitur ex antecedenti: cuiusmodi hæ sunt; si nullum tempus est, dies non est: si dies non est, nox est: ergo si nullum tempus est, nox est: homo est equus, igitur homo est: homo est, igitur particeps rationis est: quare si homo est equus, erit particeps rationis. Ex his perspicuū euadit, cùm sint duo principia Dialectica, alterum de quo modò diximus, ad dirigendas argumentationes pertinens: alterum ad modum dicendi simplicium uocum: Quidquid de attributo dicitur, dicitur etiam & de subiecto, argumentationes, in quibus error accidentis committitur, ex eo uitiosas esse atq; fallaces, quòd à uera horum principiorum intelligentia longè recedant. Quis sit autem uerus principiorum sensus, ex locis illis requirendum est, in quibus fuerunt à nobis satis copiosè exposita. Sequitur locus consequentis, ex quo duobus modis potest argumen-*

gumentum duci. Prior est, quãdo quemadmodum ex antecedenti sequitur consequens, ita quoq; ex consequenti colligitur antecedens: ut si mel est, flauum est: ergo si flauum est, mel erit. Alter modus est, cùm ex antecedentis contrario colligitur contrarium consequentis, ut si genitum est, principium habet; ergo si non est genitum, non habet principium: animus non est genitus, ergo carebit principio. Principium fallax loci huius est, quemadmodum sequitur ex antecedente consequens, ita uicissim retro commeat, ut ex consequente colligatur antecedens. Tertius locus est ab eo, quod cum adiectione conuenit, & absolutè ac simpliciter conuenire dicitur: cuius duo sunt modi. Prior est, quãdo quod secundum partẽ cõuenit, tribuitur toti. Vt Aethiops est albus dẽtibus, ergo est albus. Tribui autẽ toti, quod parti tantùm inest, non semper uitium est. Fieri id uerè potest, quando sumitur accidens, quod parti alicui dumtaxat natum est inesse, atq; ab eo totum nomen accipit. Vt est simus naribus, ergo est simus. Quando uerò accidens non unam tantùm partem afficit, sed alijs quoq; potest inhærere, error est tribuere toti, quod parti conuenit. Secundus modus est quando quod cum adiectione conuenit rei, sine adiectione ulla simpliciter tribuitur. Vt est homo mortuus, ergo est homo: est pictum animal, ergo est animal: est opinabile, igitur est: est sutor bonus, ergo est bonus: & in summa quotiescunq; coniuncta attributa diuiduntur, quæ uerè diuidi non possunt, accidit secundus huius loci modus. Argumenta ex hoc loco ducta hoc nituntur principio, quod aliquo modo conuenit, omnino ac simpliciter rei tribui potest. Sequitur locus petitio-

*Locus ab eo quod cũ adiectione cõuenit.*

*Petitio principij.*

tionis principij. Petere autē principium est, quando aduersarius postulat à respondente id concedi sibi, de quo in principio suscepta est disputatio. Huius loci modi sunt quinq;. Primus ac manifestißimus est, quando idem adducitur ad sui ipsius probationem. Vt si probetur anima immortalis esse, quia sit immortalis. Secundus est, quando quod in parte ostendendum est, petitur in toto genere. Vt si quis ostensurus contrariorum eandem esse disciplinam, postulet oppositorum omnium esse eandem disciplinam. Tertius est, quando quod ostendendum est in toto genere, in aliquibus partibus postulatur concedi. Vt si quis ostensurus contrariorum eandem esse disciplinam, uelit respondentem fateri sani & ægri eandem esse disciplinam, ueri itidem & falsi. Verisimile enim est, si horum una sit facultas, eandem quoq; aliorum fore disciplinam. Quartus modus est, cùm postulatur diuisim, quod coniunctim probandum est. Vt si sit quæstio, medicinam disciplinam esse sani & ægri, & illa diuisim postulentur. Postremus modus est huic contrarius, quando postulatur cõiunctim, quod diuisim probandum est. Vt si quis probaturus Dialecticam esse disciplinam ueri, eandem quoq; esse disciplinam falsi, postulet cõiunctim concedi. Locus cõmunis in petitione principij erit eorum, quæ diuersa apparent, potest alterum ad ostensionem alterius aptè postulari. Quintus locus est, non causam ut causam ponere, quæ accidit quotiescunq; falsa conclusione illata, causa eius esse putatur enunciatio, quæ uerè causa non est. Vt si quis ita argumentetur, omne animal est substantia, omne animal est expers ratiõis, omnis homo est animal, igitur omnis homo est

Non causã ut causam ponere.

mo est expers rationis. Hæc conclusio est falsa, ergo prima illa enuntiatio est falsa, omne animal est substantia. Si quis ita argumētetur, in hanc fallaciam incurrit. Locus hic commune hoc, sed falsum habebit principiū, cùm ex multis sumptionibus sequitur conclusio falsa, omnes ex æquo illius causæ existimandæ sunt. Sexta est, plures interrogationes unam facere. Est autem interrogatio plures, uel multiplex, quando aut unum de pluribus quærimus, ut sunt ne Aethiops & cygnus albi, an nō sunt: aut plura de uno, ut est ne homo albus & musicus, an non est: aut plura de pluribus, ut sunt ne homo & equus participes rationis, an nō? Hæc igitur fallacia accidit, quando in argumentatione falsum concluditur, propterea quòd multiplici interrogationi una tantùm adhibetur respōsio. Vt si proposita interrogatione illa, sunt ne Aethiops & cygnus albi, an nō? respondeat aliquis albos esse, alius uerò ita argumentetur, Aethiops & cygnus sunt albi, ergo Aethiops est albus: falsum cōclusum est, propterea quòd interrogationi multiplici unica tantùm adhibita est responsio, cui debuit multis responsionibus satisfieri. Quæ ex hoc loco petuntur argumenta hinc fidem accipiunt, uni interrogationi una adhibenda est responsio. Postremus locus est ex ignorantia Elenchi, qui si tractetur qua generalis est deceptio, omnes alias suo ambitu complectens, sic definiendus est, locus ex ignorantia Elenchi est, quando prætermittitur in argumentatione aliquid eorum, quæ pertinēt, uel ad syllogismum, uel ad contradictionem. Nos uerò in præsentia de eo disserimus, quatenus specialis locus est ab alijs distinctus: definiturq; deceptio, quæ accidit, propterea

*Locus ignorātia Elenchi.*

reà quòd prætermittatur pars aliqua earum, quæ ad cõ tradictionem exiguntur. Et quemadmodum quatuor sunt contradictioni necessaria, ut fiat ad idem, secundum idem, similiter, & eodem tempore: ita sunt quatuor huius loci modi. Primus est, quando pars illa ad idem prætermittitur. Vt quaternarius duplus est ad binarium, & non est duplus ad ternarium, est igitur duplus & non duplus. Secundus est, quando pars altera prætermittitur secũdum idẽ: ut hoc corpus est maius illo secundum longitudinem, & non est maius eodem secundum latitudinem: ergo hoc corpus altero maius est, & non est maius. Duo alij modi fiunt duabus alijs partibus prætermißis, similiter & eodem tempore. Prioris exemplum erit, cœlum mouetur motu circulari, & non mouetur motu recto: cœlum igitur mouetur & non mouetur. Posterioris uerò, Aristoteles uixit, & Aristot. non uiuit: uiuit igitur & non uiuit. Argumẽta hæc hoc principio niti uidentur, contradictio in affirmatione & negatione consistit, quod non est omnino uerum, desyderantur enim ad contradictionem, quæ diximus omnia.

## Quis sit soluendarum omnium Sophisticarum captionum modus.

CAP. VI.

CVm disputatio de Sophisticis reprehensionibus à Dialectico idcircò suscipiatur, ut si quando occurrant, quo pacto soluendæ sint teneat exactè: his enim ueri inquisitio non mediocriter perturbatur, id tandem præsens tractatio uidetur exigere, ut quò pacto fallaces argumentationes ex his, quos explicauimus, locis

*ducta sint diluenda, paucis doceamus. Rectam ac ueram solutionem Aristot. appellat manifestationem falsæ ratiocinationis. Vocatur autem falsa aut quæ nil colligit, aut quæ ex falsis sumptionibus. Ac primùm quidem spectandum est, colligat necne, deinde sint ueræ, an falsæ pronuntiationes. Hæc in genere dicta sint, sed ad singula sophismata dißoluenda ueniamus. Quæ ex homonymia, amphibolia, compositione, diuisione & accentu ducuntur, uno atq; eodem modo soluuntur captiones, distinctione scilicet multiplicis, aut nominis, aut orationis, & uarijs sensibus, significatis uel expositis: ut si sit proposita argumentatio, quē poßibile est ambulare, fieri potest, ut ambulet: sedētem poßibile est ambulare, fieri ergo potest ut sedens ambulet, ad hunc modum diluetur, si assumptio sensum reddat compositionis, colligendi ratio recta est, sed hæc ipsa assumptio falsa est, quemadmodum & conclusio. Si uerò diuisum sensum reddat, ueræ sunt sumptiones, & falsa complexio, sed fallax & uitiosa argumentatio, in qua uitium est compositionis. Idem in cæteris, quos diximus, seruandus est modus. Argumentatio, quæ ducta est ex figura dictionis, soluitur aptè, si recta esse negetur colligendi ratio & causa aßignetur, diuersitas eorum, quæ sunt in diuersis Categorijs. Hæc enim quãuis similia sint secundum dictionis figuram, non necesse est modum habere significandi eundem. Sophismata, quæ ex accidente, consequente, ab eo quod aliquo modo conuenit, & omnino dicitur conuenire, ex ignoratione reprehensionis, ex eo quòd non causa ut causa ponitur, uno modo soluuntur omnia, si consecutionis modus negetur, & causa præte-*

*reà erroris explicetur.* In *accidente, quòd non sit necesse ijs, quæ aliquo modo conueniunt omnia similiter inesse, aut non inesse.* In *consequente, quòd non retro uicissim commeet argumentatio ex consequente ad antecedens. in eo quod aliquo modo conuenit, & omnino rei tribuitur, non oportere, quæ secundum partem secundum aliquē locum & modo aliquo rei insunt, absolutè inesse.* In *eo quod non causa ut causa ponitur, non esse necessarium conclusione existente falsa, sumptiones omnes interimi, sed eā solam cuius causa falsa sequitur cōplexio.* In *ignoratione elenchi, quòd in sumptionibus desyderetur aliquid eorum, quæ sunt ad contradictionem necessaria.* Captioni *quæ ducitur ex multiplici interrogatione occurretur, si multiplici interrogationi multiplex adhibeatur responsio: ei uerò, quæ est ex petitione principij deprompta, non concesso eo quod postulatur.* Ac *de locis, ex quibus sophisticæ ratiocinationes promuntur, quot ac qui sint, quo pacto ex his argumenta eruantur, tum quis sit captionum omnium soluendarum modus, atq; adeò de præceptionibus ad comparandam disserendi rationem necessarijs, quæ sola nostro hoc opere tradere instituerat, hæc dicta sint.*

*Finis.*

# ELENCHUS EORUM quæ in hac Compositione Dialectica continentur.



Dispositi=

FINIS.

ductæ sint diluendæ, paucis doceamus. Rectam ac ueram solutionem Aristot. appellat manifestationem falsæ ratiocinationis. Vocatur autem falsa aut quæ nil colligit, aut quæ ex falsis sumptionibus. Ac primum quidem spectandum est, colligat necne, deinde sint ueræ, an falsæ pronuntiationes. Hæc in genere dicta sint, sed ad singula sophismata dissoluenda ueniamus. Quæ ex homonymia, amphibolia, compositione, diuisione & accentu ducuntur, uno atq; eodem modo soluuntur captiones, distinctione scilicet multiplicis, aut nominis, aut orationis, & uarijs sensibus, significatis uel expositis: ut si sit proposita argumentatio, quē possibile est ambulare, fieri potest, ut ambulet: sedētem possibile est ambulare, fieri ergo potest ut sedens ambulet, ad hunc modum diluetur, si assumptio sensum reddat compositionis, colligendi ratio recta est, sed hæc ipsa assumptio falsa est, quemadmodum & conclusio. Si uerò diuisum sensum reddat, ueræ sunt sumptiones, & falsa complexio, sed fallax & uitiosa argumentatio, in qua uitium est compositionis. Idem in cæteris, quos diximus, seruandus est modus. Argumentatio, quæ ducta est ex figura dictionis, soluitur aptè, si recta esse negetur colligendi ratio & causa assignetur, diuersitas eorum, quæ sunt in diuersis Categorijs. Hæc enim quãuis similia sint secundum dictionis figuram, non necesse est modum habere significandi eundem. Sophismata, quæ ex accidente, consequente, ab eo quod aliquo modo conuenit, & omnino dicitur conuenire, ex ignoratione reprehensionis, ex eo quòd non causa ut causa ponitur, uno modo soluuntur omnia, si consecutionis modus negetur, & causa præte-

*reà erroris explicetur.* In accidente, quòd non sit necesse iis, quæ aliquo modo conueniunt omnia similiter inesse, aut non inesse. In consequente, quòd non retro uicißim commeet argumentatio ex consequente ad antecedens. in eo quod aliquo modo conuenit, & omnino rei tribuitur, non oportere, quæ secundum partem, secundum aliquẽ locum & modo aliquo rei insunt, absolutè inesse. In eo quod nõn causa ut causa ponitur, non esse necessarium conclusione existente falsa, sumptiones omnes interimi, sed eã solam cuius causa falsa sequitur cõplexio. In ignoratione elenchi, quòd in sumptionibus desyderetur aliquid eorum, quæ sunt ad contradictionem necessaria. Captioni quæ ducitur ex multiplici interrogatione occurretur, si multiplici interrogationi multiplex adhibeatur responsio: ei uerò, quæ est ex petitione principij deprompta, non concesso eo quod postulatur. Ac de locis, ex quibus sophisticæ ratiocinationes promuntur, quot ac qui sint, quo pacto ex his argumenta eruantur, tum quis sit captionum omnium soluendarum modus, atq; adeò de præceptionibus ad comparandam disserendi rationem necessarijs, quæ sola nostro hoc opere tradere institueramus, hæc dicta sint.

*Finis.*

# ELENCHUS EORUM quæ in hac Compositione Dialectica continentur.



posi-

Pro-

FINIS.